






DE FEBRIS
1594











De Febris VNGARICÆ EIVSQVE SYMPTOMATVM CVRATIONE LIBER VNVS,

In quo etiam affinium morborum selecta remedia pro methodi non ignaris exstant,

A

Balthasare Conradino Germanica quondam editus lingua,

Ab

IACOBO verò SVTERO MEDICO ANTE ALIQVOT ANNOS in Latinam conuersus;

NVNC PRIMVM IN TYRONVM Medicinæ gratiam excusus,

PASSAVIÆ,

Typis Matthęi Nenningeri,

cIↄ. Iↄ. VIC.

Clarissimo viro D. D. Joanni Angelstetter, amico suo integerrimo — Joan. Oberndorffer D.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO BERNHARDO monaſterij ALTACHÆ inferioris ABBATI, domino ſuo IACOBVS Suterus medicus, Reuerendiſsimi atq; Illuſtriſsimi Principis Paſſauienſis phyſicus S. D. P.

CVM FRIBVRGI Briſgoiæ, Reuerende in Chriſto pater, anno, quo ibi vixi, vltimo, clariſſimum arte medēdi virum Ioannem Schenkium forte conueniſſem, gliſcenteq́; peſte, ſermo de illa cauenda depellendaq́; incidiſſet: magnopere is profuturum ad eam rem Balthaſaris Conradini de Vngarica febri ſcriptum iudicabat, ſeq́;

mirari dicebat, quòd, cùm optatiſſimis ad peſtē abūdet remediis, tamen in Latinam linguā à nemine conuerſum accepiſſet. Cōſtat autem medicis æque, vt obuia, apta & efficacia habeant in promptu remedia, atq; in aliis Medicinæ partibus eſſe laborādum. Quapropter autor erat mihi, vt Latina ciuitate donarē; & in gratiam non modo aliarū nationum, ſed etiam Germanicæ, quæ inopia vernaculorum laboraret exemplorum, latius propagarem. Faciebat autem ſimul ſpem, fore, vt & ipſe nō parum inde reportarē cōmodi. Ego vero prompte laborem ſubiturus eram, niſi

au-

autorem admirari Paracelsi medicinam; & artis demonstrandi, tametsi fortasse non imperitũ, haud tamen perinde conspexissem obseruantẽ. Principio igitur prolatis in mediũ causis laborem renuebam: præsertim, cùm sua potius inuentione, quàm alterius, cuiq; laudem quęrendã non me fugeret. Sed instabat ille, Conradinum & obseruantissimũ Dogmaticæ medicinæ videri, & ipso facto salutaria tantum ex Paracelsi fodinis et furnis eruere medicamẽta; eaq́; ratione artis locupletare apparatum: quin etiam Philosophiæ non vulgarem præ se ferre peritiam.

Insuper, si paucis ꝑtester (inquit) me à Violentis Paracelsi remediis & absurda Theoria alienum, metum nō esse, ne in sußpicionem illius hæreseos veniam. non exiguā esse laudem, nec nisi à Medicinæ cōsulto reportandam, huius generis scripta transferre. deniq; , si qua minus ex sententia Dogmaticorū dixerit autor, ea tanti non esse debere, vt à conquisitione tam præstantium apud illum medicinarum absterreāt. Proposita igitur denuo vtilitate, ad me & alios reditura, ꝑmouebat tandem, vt obsecuturum me vel imparem pollicerer, ac librum succisiuis ita transferrē

horis,

horis, vt ſenſum potius ſẽſu, quàm verbum redderem verbo: interim nec magna in deligendis elegantibus verbis ſuperſtitione vtẽs, nec de dolanda quaſi & æquanda illius ſcabritie nimiũ ſolicitus. Sat erat officio fungi interpretis; cuius eſt, ea, quæ quis dixerit, bona fide & perſpicuis reddere verbis. Quod nũ præſtiterim, non meum, ſed aliorum, eſt iudicare. Tranſlationem porro medicinam HORBÆ faciens in lucem editurus eram, niſi quædam illata fuiſſent impedimenta. Interea, dum hîc ſum, lues illa vicinos paſſim infeſtans amicos quoſdam commouit, vt

ad editionē illius laboris me ſolicitarent. Quibus morem ob id maxime gerendū duxi, quòd etiam artis noſtræ candidatis res nec ingrata, nec inutilis ſit futura, ſi nunc tandem in lucem ille prodeat. Id quod lubens permiſerim; nō vt malorū, de quibus tractat autor, inde diſcantur cauſæ; ſed vt eorum idoneæ cōprobatæq́; vſu medelæ noſcātur. Quæ hucuſq; diximus, licet ad lectorem verſionis noſtrę quemcunq; pertineant, ad te tamen Reuerende pater, præfari libuit ideo, quia cùm te nonum abhinc annū, fauente Deo, ab ea, de qua hoc agitur libello, meo cōſilio liberatum

ratum

ratum febri, nõ modo fatearis, ſed etiam prædices: putaui tibi meam transferendi illius operam non minus gratam futuram, quàm illam ad te languentem reſtituẽdum. Deinde quòd virtus tua laudem tibi nominisq́; celebritatem pepererit vbiq; tãtam; vt ſperem fore, quò eius quaſi ductu hic etiã labor noſter placeat et celebreſcat. Deniq; cùm non modo in monaſterium tuum (cui ego ob vſum fructum ędium, iam inde, ex quo Paſſauiam appuli, ab illo mihi cõceſſum, debeo plurimũ) laudabili, antea quidẽ rei familiaris ꝑ annos complures, nunc vero in alterum

 ipſius

ipſius Abbatiæ adminiſtrati-
one grandia contuleris bene-
ficia; ſed etiã in me priuatim
munificus exſtiteris: volui
hanc tibi dicatam interpre-
tationem quaſi monumentũ
grati mei in te animi ſtatuere;
vt quicunq; ad eius lectionẽ
accedit, mox in veſtibulo tui
gratificandi mortalibus ſtu-
dij memor efficiatur, tibiq́;
mecum ſalutẽ & incolumi-
tatẽ precetur. Vale Reueren-
de pater, meq́; ac partum hũc
noſtrum ab iniuriis vitiliti-
gatorũ defende. Datum Paſ-
ſauiæ prid: calend: April:
Anno cIɔ. Iɔ. VIC.

AVTORIS
ad Lectorem præfatio.

NON temere vetuſtiſsimus ille, ſapientia & vſu rerum clariſsimus Hippocrates à mutationibus tempeſtatum multos & varios procreari morbos memoriæ prodidit. Obſeruauimus hiſce proximis annis mirã aëris inconſtantiam & tempeſtates vel humidas plus æquo, vel alia excedente qualitate ſuis horis omnino repugnantes; famem & annonæ inuſitatam caritatem; cœleſtium corporum infauſta phænomena, Solis Lunæq́ue eclipſes, coniunctiones, oppoſitiones ꝓdigioſas, aliorumq́; planetarũ infeſtos aſſpectus: quales & hoc anno quidam perquam triſtia minãtur. Vt inſolitos interim maris æſtus ac fremitus, repentina & inexſpectata diluuia, quæ cum aliis, tum noſtris hiſce locis damnoſa fuere, taceam. Quæ omnia aërem infeciſſe & aliena contaminaſſe qualitate, conſtat. Adeo vt mirum nõ ſit, ſi pleriſq; in locis noui & inauditi exoriantur morbi; humidę, putridæ peſtilẽteſq́; febres; vdæ vapidæq́; cephalalgiæ; inconſueta deliria & furores; ardentiſsimæ pulmonũ phlegmonæ; incurabiles pleuritides & lumborũ affectus; ſubiti grauiſsimiq́; abortus; variæ membrorum tum contractiones, tũ reſolutiones; dolores cum alij vẽtris, tum colici; lumbrici; tortiones lancinationéſue; carbunculi; diuerſorum colorum hydroa

droa

droa & ecchymomata, rubra, liuida, veneta, punicea, nigra &, vt morbilli, alba, licet ab eis nonihil differentia. Adeoq; iam hæ peſtes, plus minus, octo vel nouem annis graſſantes totam propemodũ Europam pernicie ſua perrepta-runt diuexaruntq;. Ita vt pauca Germaniæ lo-ca ſuperſint, quibus hoc nouennio moleſtiam nõ exhibuerint, vel peſtis, vel præſentes conſi-milesúe peſtiferæ malignæq; febres. Ac tamet-ſi vno, quàm alio loco vehementius hæc mala graſſata ſint; paucæ tamen eorũ expertes relictę ſunt prouincię; paucę noxas eorum nõ ſenſere. Quin & hoc tempore denuo ſe ꝓferre hæc ipſa mala videntur; interq; ea pręcipue hydrorrho-os ac putrida illa Vngarica febris miſcellanea θηριώδης τε, ſuis comitata, quas peſtigias ap-pellãt, maculis. Quæ febris propemodũ ex to-to hectica eſt & putrida, eorum, quos inuaſit, penetrabili ſua vapida diraq; putredine paucis diebus exſiccans abſumensq; corda; grauem et narcoticum ſomnũ vna cum furore ac delirio cõcilians; inauditum & periculoſum eryſipe-las, aut pariſthmia lingæúe ardorem inferens; nec minus repẽtinam pulmonũ inflammatio-nem (quæ περιπνευμονία Græcis) & ſanguinis exſpuitionem (αἱμοπτόησιν Græcis vocatam) qua fit, vt pleriq; mox concretũ exſpuant ſan-guinem, ac pulmones præ nimio calore feran-tur ad fauces, torrefiant & ægrũ ſuffocent. He-

par

par etiam infectis hiat præ ariditate: dolores pleuritici superueniunt intolerabiles; molestæ et aridę tusses, incredibiles narium hæmorrhagiæ & neutiquã perferẽdę oboriũtur: diaphragma tabescens inarescit: ingens calor & liquefactio renum, spinæ dolores, ardor vrinæ cum aliis grauissimis symptomatibus ac diris cruciatibus, quæ omnia longum foret recensere, consequuntur. Taceo interim ventris dolores & tortiones, ingentes ventriculi & intestinorum putredines, in quibus tanta tenacis plegmatis vis inest, tantaq; vermium copia scatet, vt vix credibile sit, ex putredine tantã tam subito vermium colluuiem generari posse. Etenim non solũ per aluum; sed etiam per os, nares, aures illi prodiere plurimis iam morti vicinis: quin etiam in cerebro præter omnẽ rationem sunt inuenti. Hæc omnia, verendũ est, ne grauissimæ sint alicuius epidemiæ pręnuncia; sicut alias similia fuerũt. Nimirum, vt cœlum & sidera sunt disposita; sic etiam homo, ὡς ὐρανιστκός, cui illud suam vim imprimit, quam peccata nostra proritant in nos aduersam. Ea igitur, quæ adhuc dixi, causa sunt, cur breuiter in communem vsum, quo pacto difficilimis hisce tẽporibus quisq; se siue ad præcauenda, siue ad auertenda hæc mala gerat, exponere velim. Tametsi vero nõ defuturi sunt, qui isthæc, vt & totã Medicinam, cõtemnant;

tamen

tamen iis, qui rectius affecti ſunt, haud eſt obſcurum medicinam ipſumq́; medicum à Deo non eſſe fruſtra creatos. Hi ergo beneuolũ hoc meum conſilium in meliorem accipient partem, eoq́; habebunt loco, quem ipſum prometur. Interim Deum precabuntur (non ſecus ac pro aliis ad vitæ ſuſtentationem & incolumitatem neceſſariis) vt calamitates iſtas et pœnas clemẽter à nobis auertat. Quod vbi fecerint ſimulq́; vitã emendarint; ſuos iuxta hoc ſimplex quidem, ſed probe fultum & munitum conſilium moderentur licet, omniq́; ratione adiuuent: ne latius calamitoſum hoc contagium ſerpat & ingraueſcat. quod ne fiat, iterum à DEO cotendamus.

IN BALTH. CONRAD. IOAN. STRIDACH. I. V. D.

Antea ſola tuum coluit Germania nomen:
Nunc ope SOTERIS, Latio ſermone libellos
Donantis, quos Pannonia de peſte dediſti
Teutonicos, late totus venerabitur orbis.
Ergo velut Soter tibi, ſic tu debitor illi:
Alterutrius enim fit munere, creſcat vt alter.
Quin & vterq; ſibi medicos deuincit vbique
Atq; ægros, qui veſtra opera ſanentur ab illis.
Vnde ſalus donec medica repetetur ab arte,
Veſter honos nomenq́; ſimul durabit in orbe.

IN-

INDEX CAPITVM huius Libri.

Typographus.

Quæ operis contextui paulò maioribus excusa typis inserta videbis Lector, ea interpretis esse, vel ipse per te ratiocinaberis.



Commonefactio BREVIS ET CANDIDA DE MALIGNA EPIDEMICA FEBRI, quam luem appellant VNGARICAM.

Quid ſit hæc febris, & vnde oriatur: CAPVT I.

QVO MAGIS RES naturæ arduas, abſtruſas & obſcuras admiramur ingenioq; rationes earum perquirimus; hoc minus quicquã inuenimus firmi, quod de iis ſtatuamus: adeò vt diuturna noſtra inueſtigatio diſcuſsióue ſæpe in merã deſinat opinionem, nihil certi tenentem. Hoc & Philoſophis & Medicis multis in rebus vſu venit, quarum neq; cauſas neq; effectus indagare potuere (felicem interim pronunciârunt eum, qui rerum poſsit cognoſcere cauſas) quomodo circa morbos factum, quorũ ferè omnium cauſas in quatuor humores corpore noſtro cõtentos re-

 tule-

tulerunt; ac prorā & puppim in eo collocārūt, si quatuor illæ tanquam matres ægritudinum æquabili & laudata conseruarentur temperatura; ne earum excessu defectúue morbi exorirentur. Huc omnes purgantes, præparantes & aliæ medicinæ directæ & accommodatæ sunt. At nuda fuit hæc opinio; & est etiam nunc. Ne verò & nos circa ortum huius Vngarici morbi aliorumq; nouorū duntaxat opinionibus ducamur; age supremum nostrum magistrum CHRISTVM IESVM, qui solus verum, æternum & omnipotens verbum, sapientia & veritas est, potius, quàm vulgo creditos medicos & philosophos sequamur. Is in obscuris naturę rebus & operibus suis considerandis non ad opiniones Philosophorum, sed ad magnum illum, capacem, clarum et perspicuum naturæ librum remittit, vbi ait: Discendum, quo pacto terrestria crescant lilia. Vult enim, si scire desideremus, qua ratione singula oriātur, accedendum ad librum suum, quem à se exaratū, quasi mundo explicuerit, vbi variæ & admirabiles imagines conspiciantur, quibus in reconditarum rerum intellectum & notitiam facile perducamur. Illic ergo opificē cum rebus ab ipso creatis, tum bonis, tum malis, liquido cognoscemus, per eas, quæ cœlo, telluri & aquis inscriptæ sunt, notas, imagines & picturas. Quoniam

niam igitur Vngarica febris peculiare flagellũ est et pœna, qua Deus rerum à se creatarũ auxilio propter peccata nostra nos castigat: videamus nũ naturæ hic liber de eius origine, essentia, causis, speciebus, partibus ac differẽtiis nos edoceat. Vulgo ferè sentiunt esse putridum, venenatum, frigidum calidumúe aërem, qui hoc modo humanum corpus inficiat. quod etiam de peste fertur. & hæ febres ideo pestilentiales dicuntur, quòd à vitioso & pestilenti aëre prouenire iudicentur. Quomodo ergo aër horum malorum causa sit, & vnde virus suum acquirat, ex naturæ libro condiscamus. Sententia est eruditorum, cęlum & astra cum malignis planetarum asspectibus & aduersis tempestatibus aërem efficere tam tetrũ; hoc est, inficere tanq̃; veneno res terra nascentes, cibos, potus, aquas, aërem & omnia, quæ ad sustentandam humanam vitam requiruntur. Quæ nutrimenta fomentaq́; cùm deinceps corpora subeunt, vitia sua & venena eis cõmunicant. Quod quidem, quo pacto fiat, similitudine conabor explicare. Cauponi domi hospitum turba molesta est, à qua cuperet liberari, nescit quanã ratione eos excludat: incidit tandem non posse commodius, quàm ingrato ac tetro aliquo fugari odore. arripit ergo coriũ, cornu, vngulas, vngues, pannos laneos, pennas, asam (quam vocant)

fœtidam et alia fœtore molesta. iniicit igni, adurit: diffunditur fumus, quem fœtentem percipiunt hospites: quorum alius pheu (inquit) quid hîc odoris percipio? credo equi accensam vngulam, aut vetustos calceos. alius olfacere se asam; alius aliud ait se odorari. Tandem vna vox omnium; Discedamus ex hoc fœtore; ne morbo corripiamur: quærendum aliud est hospitium. Ad consimilem modum rebus naturæ vtitur DEVS, quando nos inutiles terræ hospites & peccatis molestos punire cogitat. Accendit acrem fumũ, hoc est, veneno inficit aërem. Quas autem res adhibet? Primum infausta sidera, iniquos asspectus, et planetas, qui suis radiis ac viribus in terra, aqua & aëre venena generant: tum inficientia nos animalia & res alias perniciosas; velut radices, herbas, terræ succos, mineralia sua efficacitate producunt. Nullũ enim in hoc orbe radicibus, herbis aut mineralibus inest venenum, quin à peculiari sidere, cuius maligna vi efficiatur, ortũ ducat. Ita immundi vermes & sepiæ in mari, cantharides aliaq; insecta in aëre, sua habent in cœlo sidera, à quibus venenũ contrahunt. Hæc igitur venena ab astris prodeuntia (quibus astris alioquin in terrea, mineralia; aquea item & aërea subiecta fuerat agendum) Deus simul vnô quasi fasce cõiicit in ignem, hoc est, in aërem, sine

ſine quo vita carendũ eſt; et accendit; vt omnia ſimul confuſum de ſe ſpargant fœtorem. Naribus igitur hauriũt alius arſenicum, alius ſulphur, alius colocynthida, alius cantharides, alius aliud venenum; quotq́; venenorum genera ſunt, tot & morborum in iis, qui illa attrahunt, exſiſtunt (cùm illa non modo omnia, ſed etiam ſingula ab vnoquoq; percipiantur) eaq́; pro illorũ magnitudine, natura, aut mixtione: pro qua hæc ipſa miſcentur, ac maiora, vehemẽtiora, plura, pauciora, mitiora vel grauiora fiunt. Multa enim ſunt venena, quæ magna tantum copia necant; exigua vero ſui parte vſurpata lethalia non ſunt. Cuius generis eſt elleborus albus, qui mortiferum in ſe continet venenum; quod tamen haud occidit parua (vt ſic dicam) quantitate. Ventrem tantũ ſoluit, & choleram quidem, vt volunt, educit. at ſi doſin iuſtumq́; põdus trãſgrediaris, nimia purgatione conuulſiones infert, & tandem vita priuat. Sic poteſt in febrẽ aliquis ex aëris incidere vitio: quæ febris naturam referat ellebori: quia nempe ex cœleſti & terreno elleboro purgantem vim attraxit aër; quę nimia quidem lethalem efficit euacuatioẽ; modum verò non excedẽs, profluuium inducit tantũ alui; quod facile coërceri poteſt & curari. Cõſimiliter de alijs omnibus aëreorum venenorum generibus eſt

iudicandū. Vnde Vngarica miſcellanea febris nihil aliud fuerit, quàm vitioſus & venenatus [definit hîc autor potius cauſam, quā morbum] aër, qui pro ratione & mixtura variorum cœleſtium & terreſtrium venenorum ſpiritus, humores & corpora hominū ſubeat, inficiat, labefactet, vel tota, vel ſecūdum partes eorum certas; quæcunq; ſcilicet ad ſuſcipiendum talia venena magis propendēt: quæ quidem febris pro natura & magnitudine veneni vel ad mortē perducit, vel ad inſigne valetudinis detrimentum; maxime ſanguini aduerſa. Verum exemplis hanc definitionem illuſtrare placet. Baſiliſcus omniū eorum, quæ vſquam exſtant, ſumme venenatum eſt animal, quod veneno ſuo iugulat & interficit omnia quæ oculis vſpiam aſſpicit. Eodē modo ſumme venenatus aliquis eſt aër, quem peſtilentialem vocitant, qui naturam imitatur baſiliſci. quare? quia ſic in ſe cumulate complectitur venenum, vt quæcunque animantia tangit, enecet. Sunt deinde venena, quæ ob calorem & feruorē ſummum omnia, quæ contingunt, incendunt & exurūt, vt arſenicum, [ſic autor diſtinxit hæc duo] auripigmentum, ſublimatum, &c. Ita aër attrahēdo ſulphureum hunc & arſenicalem calorem inquinatur, ac poſtmodum totam ſanguineam

guineam maſſam, cerebrũ & cor tanq̃; ignem incendit, ardorem efficit linguæ, omniaq; quaſi in carbones redigit. Huius porro naturam et hæc febris refert: quæ proinde καυσώδης vocanda eſt: adurit enim & enecat, vt arſenicum. Feruida hęc ſublimata etiamſi parua miſceantur mole, ſurſum tamen ſemper ferũtur ad caput, tanquam alembicum: ibiq; hærentia cerebri membranas accendunt, efficiuntq; phrenitidem, ardorem linguæ, veſicas faucium & oris, aliosq; complures calidos affectus. Sunt alia iterum venena opiatæ & anodinæ naturæ. veluti mandragora & vua verſa: quæ cùm aërem inficiunt, pro ſua conſtitutione opiatos & anodinos affectus procreant; dum vehementi ſuo frigore ſtupefaciunt & conglaciant; ita, vt hinc ſanguis, cerebrum, cor ſuffocentur. Huius etiam naturæ Vngaricus hic morbus eſt particeps; atque hinc ſunt graues lethargi, cari, tremores cordis, ſpaſmi, cõtractiones, inflationes & tumores corporum ægrotantium. Harumq; duarum qualitatum (frigoris & caloris) exceſſus extrema δηλητήρια præſtat, quæ citiſſimam adferunt perniciem. Hæc mineralia, &c. monſtrat nobis liber naturę: vt quæ oculis noſtris prouenire videamus & pedibus etiam ſoleamus calcare. Vt igitur in terra certo proue-

niunt, ita in cœlo prius exſiſtunt, quàm generare hęc ſublimata poſsint ex aqua. Ad hęc venena ſunt, quibus malignæ inſunt qualitates, quæ nimium vel laxant, vel adſtringunt. quomodo colocynthis eſt, quæ adeò vehementer purgat, vt etiam ſanguinẽ & alia, quæ non debebat, ex corporibus exigat. Tali veneno et aër inficitur, ita, vt vi purgatrice corpora deſtruat: cùm inde oriantur dyſenteriæ, ventris & aliarum partium corroſiones; venarum deniq; ab interiori parte exeſiones (vt ſic dicam) quarũ hoc venenum eſt cauſa. Interdum etiã ex fungis & radicibus tale quoddam venenum adſciſcit aër, quod cor opprimat, velut in fungo ſtrangulatorio (muſcarium noſtri vocant) & napello eſt videre. Quædam ob grauitatẽ ſuam & pondus ſuffocant; vt lithargyrum, ceruſſa & alia complura. Inde malignæ hæ febres pro veneni iſtius conditione venenatas pariũt ſuffocationes, bubones, puſtulas & alia. Quinetiã venena ſunt, quę certas corporis partes præ aliis infeſtant, eiſq; lethalia infligunt mala; quæ illæſo corde recta properant ad membrũ, cuius deſtructioni deſtinata ſunt. eiuſmodi eſt hydrargyrum tantummodo dentibus, gingiuis, hepati, cerebro & neruis nocuum. apium item riſus, ſeu Sardoa; cuius venenum dũtaxat collum contrahit; ita quidẽ, vt riſu continuo morien-

riendum ſit infecto. Eodem modo & huic febri Sardonia ineſt vis, qua fit vt phlegmone illa angina vocata collum comprimat, eaq́; ratione breui tollat è medio. quam vim & cicuta nacta eſt, & alia quędam. Crocodilion herbam & radicē ſi quis olfaciat, aut edat, narium hæmorrhagia corripitur. Conſimiliter & hæ febres crocodilianam vim cœlitus obtinēt, qua narium mortiferum concitant profluuium ei, quem valide comprehenderint: quemadmodum multis laborantibus accidiſſe meminimus; quos illa tali orſa profluuio corripuerat. Cantharides inſecta ſunt ita venenata, vt ſi quis maiuſcula iis vtatur copia, ſanguinolento mictu cōficiatur. Horum etiam præſens febris particeps eſt veneni, vt quæ veſicæ vlcera renumq́; morbidos gignat affectus. Conſtat cuiuſmodi venenatis herbis & radicibus perditæ mulieres conceptus exigant & menſes euocēt. Talium epimenicā etiam hæc febris nacta eſt potentiam; ex qua multi exſiſtunt grauidarū aborſus & modum excedentia menſium profluuia, quibus etiā anima exhauritur. Sic aliæ ſunt praui ſucci, tum herbæ, tum radices, quarum vſu contrahuntur internæ pulmonum & iecoris inflammationes: vt lathyris, tithymallus, eſula: lepus item marinus, & ſimilia. quorum etiam præſens hæc febris aſſumit naturā,

inflammãs acri ſuo prauoq; humore chryſulcam aquam referente pulmones, iecur, ſuccingentem coſtas membranam & ventriculum: vnde varia mala prodeunt. Sunt præterea ſtirpes, vt flammula, batrachium, vrtica, quæ cutem adurunt impoſitæ ac veſicas excitãt: quarum iſthæc quoque febris induit naturam & veſicatorium venenum; quo variæ puſtulæ, exanthemata, varioli, & à canibus ouibusque Germanis appellatæ latiores excitantur papulæ. Sunt inſuper venena (quale aconitum pardalianches eſt) quæ ſumta varias in cute maculas generant (quod & alia venena deguſtata fere ſolent) Ita hac in febri ex aconitica natura variæ peſtigiæ, ſtigmata & maculæ tanq; pulicum morſu factę diuerſorum colorum apparent. aliqui etiam dipſadico quodam inficiuntur veneno, & exſtinguuntur ſiti. Denique ſi in excutiendo naturæ libro progrediamur, alia complura aërem inficientia venena inueniamus. Eſt vbi cadauerum ſit aceruus, ingenti nempe militum edita ſtrage; ſunt paludes alibi & à ſtagnatione relictum cœnum, &c. Vnde putredines, fœtores, vermes & alia ex putredine naſci ſolita exſurgunt animalia. Huius generis putredinem & immunditiem nacta præſens quoque febris eſt ex aëre: Vnde vere putrida ac ceu cadauer eſt; vt quæ corpo-
ra

ra noſtra veluti vermibus ita defœdet, putrefaciat, corrumpat; vt nulla vnq̃; talis animaduerſa ſit: quæ proinde non abs re θηριώδης appellatur. Ineſt & bupreſtica huic ipſi febri natura. Vt enim vacca bupreſtin deuorans inflatur & dirumpitur: ita etiam multi ab hac febri intumeſcunt, haud ſecus ac ſi per anni totius ſpacium hydrope laboraſſent. Tametſi ergo omnes hæ differentiæ generatim ex infecto aëre ducant ortum: tamen etiam variæ ac diuerſæ cauſæ ſpeciatim aſsignari poſſent. Veluti, quòd hiſce proximis annis magna fuit annonæ difficultas, inſolitæ ac pernicioſæ tempeſtates, à quibus arborum fructus, terræ fruges & alia alimenta varie corrupta & putrefacta ſunt: quæ cauſa eſt cur eorum vſus etiam varie nos inficiat. Sed miſſa hæc facio. Notum eſt aërem vitioſum cœco meatu poma & nuces penetrare, in iiſque vermes aliaque putrida procreare. Quid ergo mirum, ſi infecti tales fructus etiam nobis eam infectionem, quam contraxere, communicent? Poſtremò vermium etiam & aliorum venenatorum animalium imbibit aër venenum: veluti ſerpentum; rabidorum canum, ſcorpionum & ſepiarum; quæ morſu, aut ictu humanum genus inficere ſolent. Eſt cuius calcem cœleſtis ille ſerpens mordet, hoc eſt, quem vitioſus

afflat

afflat aër, à quo bubo, vel carbunculus enaſcitur:alium ſub axilla pungit ſcorpius; alium in crure ſepia;alium veſpa, vel crabro poſt aurem. Atque ad eundem modum varia membra vitioſo aſſpirante aëre venena concipiunt,à quibus de vita totus homo periclitatur. Nō opus eſt omnes ſpecies & proprietates venenorū recenſere.nequaquam dubitandum,quin ſi tam venenatas res cum ſuis aſtris in libro naturæ propius intueamur, facilè febris iſtius cauſas, ortū, naturam,differentias & proprietates deprehenſuri ſimus,vna cum ſpeciebus & veneficis operationibus, ſecūdùm intentionem & remiſsionem, ac prout incidit vel in diuitem, vel in pauperem; pro copia denique allati ſecū veneni, vel etiā paucitate. Quæ videmus, tangimus,quæ ſentimus, quę certo ſcimus,negare nemo debet. Cùm igitur tam varia ſint in terris, montibus,aquis,aëre venena, quàm nobis conſtat; omniaq; ortum ex cœleſti vi ducant; quæ vis in ea operatur, ingreditur,eſſentiam et malignitatem confert: quid cauſæ eſt,quò minus eędem vires cœli noſtra quoq; corpora penetrent; quemadmodum Solis radij vitrum; atque ita Dei nutu nos afficiant & lædant? Inſtitutum hoc meum, quòd Mundū & microcoſmon, id eſt, hominem, ita inter ſe confero in meliorem velim accipiatur partem. Quod
ſan-

ſanguini maximè aduerſam hanc febrim ſentio, experientia etiam comprobat. Quò enim robuſtiores et ſucculentiores ſunt homines (vt viri iuuenes, ab anno ætatis vigeſimo quinto vſque ad quadrageſimum; quę viuida eſt ætas) eò facilius ab illa rapiuntur et contemerantur; tanquam illuderet hæc illis; qui meritò præ aliis (ceu ſani, ſucculenti & robuſti) talia ſuperare debebant infortunia: quaſi deniq; hæc robuſtos quidem illos eſſe fateretur; ſed robuſtiorem ſe, facile de iis reportare poſſe victoriam, ſignificaret. Eſtq; haud abſimilis ea lupi, aut leonis, quod ad graſſandi et iugulandi cõſuetudinem ac ferociam attinet. Hanc meam naturæ libri declarationem ex libello Galeni de Euchymis et Cacochymis ſuccis, et Auicenna pulchre probare poſſem: ſed præſtat homines eruditos hac de re ipſos plura cogitare: mihi tantum obiter fuit hæc res percurrenda. Tametſi verò hanc materiam fuſius diducere poterã: in pręſentiarũ tamen ſufficiat hunc morbum febrim eſſe ex variis cœleſtibus, terrenis & aqueis venenis ortam, ad puniendum genus mortalium à DEO immiſſam; quò ad frugem redeuntes, iram eius effugiamus.

Vnde

Vnde & qua ratione harũ febrium propagetur contagiũ, id eſt, vna ex ſe aliã procreet: Caput II.

QVONIAM igitur iam ſatis liquet, has febres ex omnis generis venenatis rebus à DEO creatis (non tantummodo ex elementis corruptis) nobis in pœnam, Deo permittente, produci; nosq; aërẽ attrahere neceſſario: mirandũ non eſt, quando plurimos, vt in Vngaricis caſtris antea, ſic in toto terrarum orbe nunc, infici torquerið; videmus. Triplici ratione doctiſsimus Fracaſtorius in opuſculis de ſympatheia & Antipatheia ac de morbis contagioſis, contagioſos hoſce morbos prouenire oſtendit: cuius ſententiã pluribus iam repetere nolo: ſed breuiter tantũ, qua ratione ad nos hæc propagetur contagio, cõmemorabo. Multi ſalubri ſe vti cœlo aiunt, nec ita feruido putridoúe, vt tam putridæ poſsint ab eo generari febres. Nec inficior ego puriorem eſſe Norinbergæ, quam Albæ regiæ in Vngaria aërem. Sed in Vngaria fuit in caſtris tam teter aër, tã aduerſus Saturni & Martis aſſpectus, vt primũ omnes, quotquot illic vna fuêre, milites apprehenſos infecerit, velut in loco prædeſtinato. In

hoc

hoc ceu diuersorio fætidus iste fumus accensus est primū. Non secus atq; Gallica lues primū Neapoli, aut, vt aliqui putāt, in Gallia orsa est; vbi in subiectū incidit cōueniens, Venere malignam suam ibidem imprimēte exaltationē. Et, vt in Anglia primū fuit aër plus æquo humidus; vnde Anglius sudor extitit. Constat equidē nec in Germania, nec in Polonia, nec in aliis terris hunc aërem, aut hanc fuisse constellationem. Sed fomite eo, de quo dictū est, loco concepto homines transeundū sibi duxerunt ad aliud hospitiū; ac semen fomitemq; morbi secum in sinu gestârunt, dū peruenere alius in Germaniam, alius in Bohemiā, alius in Poloniā: atq; ita per eos ad loca distantissima queq, fomes ille perlatus est. Nō secus ac dum Vngaricus miles pediculos in Belgiū secum perfert; qui deinde Belgicos excludunt pediculos. Vel, cùm aconitū aliquis trāsplantat, quod prius in valle Celia forte inter altissimos mōtes prouenerat: cuius semē dissiliēs tanta copia nascitur vltro; vt optandū foret nunquā fuisse cognitum istud venenum. Ita nimirū hæc Vngarica lues omnes Mundi plagas inficit. Venit quispiam infectus ad ostiū domus tuę, petit sibi cōcedi per noctem hospitium, calefieri cupit; pro gratia hoc tibi semen relinquit, à quo tibi tuisq; mors prouenit. Ibi alij te inuisentes & ipsi

con-

contaminantur; & ab his alij consequenter. Postmodũ è vicinia tua in alium locum se recipit aliquis; et ex illo in alium se rursus alius. Hoc modo lues isthęc ex vno fomite in totum orbem sese breui disseminat: nec opus est, vt aëris illa constitutio, ex qua oborta est, vbiuis dominetur. Id quod liquido in Anglico sudore, morbo Gallico ęque ac Vngarica ista lue videre est; quæ in hunc vsque diem durant. Qua de re, vt & sacras literas, quibus per omnia fides habenda est, audias (quæ testantur Deum non modò nostro cœlo, sed etiam peregrino & aliena rerra ad nos puniẽdos abuti) lege caput Leuitici 26. vbi ad hũc modum loquitur Deus: Si nõ feceritis omnia præcepta hæc, &c. Visitabo vos terrore, tumore & febre ardenti, quæ oculos consumant, & animum cõtabescere faciant. Et quidem in nostris terris ac locis, in quæ semẽ nostrum spargimus, has febres et tumores se producturum innuit: præsertim cùm subiiciat; Faciam cœlum vestrũ velut ferrum, & terram vestram velut æs. Et; Consumetur robur vestrum frustra. nam terra vestra nõ dabit annonam suam, & arbores terræ nõ dabunt fructum suum. Quo minus igitur assignata nobis superius causa explodi debeat, vbi diximus Deum ex metallis conflare venena; obstat hoc testimoniũ; quod oporteret stolide,

prius

priusexpungeres, quàm, quod cupis, obtinere liceret. An non ferrum & æs in ſe arſenicū, ſulphur & auripigmentū cõtinent? arrige caput ad emiſſariū furni, aut luteam deguſta glebulam, & experieris. An non arbores, hortos, agros & prata eorum fumi perdunt? Inſpiciantur loca, quibus illa funduntur. An nõ etiam bruta et homines enecãt? Paulò pòſt ait Deus: Mittam peſtilentiam inter vos: trademini in manus inimici. Et; Confringam vobis baculū panis. Hîc vides vnde fames & bellum proficiſcantur. Intermiſcet & hoc; Septuplo augebo vobis pœnam. Quibus verbis per Moſen Deus indicat, quo pacto noſtrum cœlum affligere, & peculiares morbos & calamitates nobis immittere velit. Deuteronomij etiam 28. Percutiet te Dominus (inquit Moſes) vlcere Ægyptiaco, ficu, &c. Vnde apparet Deum aliarum terrarū plagis & morbis nos afficere velle. Legatur totum caput, & liquido cernetur ea omnia fere mala, quæ nuper allegato loco recenſentur, etiam hîc nominetenus exprimi, tum quæ viris, tum quæ mulieribus euentura ſint. Ita nunc certe euenit, vt Moſes minatus eſt. Difficiles partus, abortus & menſtrui fluxus infelices mulierum, filiorum abſumtio, furor, æſtus, frigus, fames conſpiciuntur. Faxit Deus, ne his grauiora experiamur:

ne in os ingerere quæ proiecerant, & deuorare quos pepererant liberos cogantur mulieres. Deus miſereatur noſtri; vt cauſas horũ malorum conſiderantes vera pœnitentia iram eius placemus. Satis iam oſtenſum; vbi et vnde hęc oriatur infectio. Tametſi enim purum & ſalubre noſtrum eſt cœlum; tamen Deus ex Ægypto ad nos illam mittit; hoc eſt, ex aliis terris et locis, in quibus talis colluuies & aëris corruptela ex noxiis aſtrorum viribus, elementis deprauatis, & aduerſis tempeſtatibus exordium cœpit. Expediti ſunt ei celerrimiq; veredarij, per quos illam facilime, quocunq; lubet, tranſfert. Ipſe eſt omnipotens; & nos talia promeremur. Etenim, ſi exigua aura in Seleucia, vt hiſtoriis proditum, tantũ potuit, vt Græciam primum, deinde Romam, atq; hinc totã propemodũ Europam infecerit peſte (Aiunt enim milites Antonini Cæſaris repertam in templo Apollinis arculam, quã continere theſaurũ rebantur, aperuiſſe, ac pro theſauro virus peſtiferũ depromſiſſe) Quã leui momento Deum talem ſibi adornare poſſe, cenſeamus aurã? quam in omnes terræ partes per ſuos angelos exſpiret? Quemadmodũ in Apocalypſi vbiq; eſt videre. Deniq; cũ moſchi odor incluſus epiſtolæ per aliquot miliariũ ἑκατοντάδας trãſportari queat;

queat; quid obſtat, quò minus talis cõtagioſus aër tam longe transferri poſsit?

Iam ſequitur, vt docẽdum ſit, primũ qua ratione præcauendum cõtagioſum hoc venenũ; deinde, quomodo hæc ipſa lues poſteaquã iam corripuit hominẽ, abigenda & curanda videatur. Vbi ſe obex mihi ferreus atque grauis offert, quem niſi remouero, progreſſum non inueniam. In gratiã vulgi breuiter rem percurrere; ſed ob eruditos paulò accuratius pertractare cuperem. At neutris videor eſſe ſatis facturus. Nihilominus periculum fieri neceſſe eſt. proin ita rem attemperare conabor, vt rudes quidẽ nec prolixitate turbentur, & indicationes curationũ ac præſeruationis intelligant: docti autem non omnino fruſtra hæc legant; ſed aliqua etiam ad vſum ſuum inde reportent. Quod, ſi probe hunc diſcum iecero, brabiũ fortaſſe reportabo. Diuino ergo fretus auxilio rem aggrediar: quam, vt is ad optatum finem dirigat, omnibus votis expeto.

De præſeruatiõe, hoc eſt, qua quisq; ratione ſe contra luis huiuſce inſultum præmunire poſſit: Caput III.

DE preſeruatione huius febris pauca quædam in mediũ allaturum non præterit, duo cũ primis in omni præſeruatione ſpectanda; alterũ, vt ſuũ quisq; ſic præparet corpus, vt veneno & contagio reſiſtere valeat; alterum, vt ipſum contagium, aut venenum ita ſiue in hibeatur, ſiue obtundatur; ne facile præmunitũ corpus inficere queat; aut ſi ſubierit illud, non tamen poſsit (vt ſic dicam) figere pedem. Quò vero tale conſeruetur, aut reddatur corpus, vt veneno non modo nõ cedat, ſed etiam aduerſetur; ſtudendum in primis, vt purum & ſuis viribus integrũ ſit: quod conuenienti fit rerũ non naturaliũ adminiſtratione: vbi nec parũ nec nimium exhibetur; ſed æquabilis obſeruatur contemperatio. Deinde, ſi ſuperflua eius educãtur, &, ne redundent, prohibeatur. quod quidem variis fit modis; venarũ ſectione, purgatione tũ quæ per os, tum quæ per aluum fit, ſanguinis generatione, & depuratione procuranda mictu, exercitatione, ſudore, inedia, fame & omnibus aliis modis, quibus corporis aperiuntur meatus & obſtructiones expediuntur, coaceruatio deniq; impeditur eorum, quæ corpori futura erant moleſta. Quia vero generalis hæc eſt via, cùm ab aliis, tum à nobis in libello de peſte monſtrata; ſuperuacaneum arbitror, plura de ea facere verba. Petat illinc, qui

qui volet, ea quæ huc ſpectabunt, & ad vitæ rationem pro ſanitatis conſeruatione moderandam adaptet. Inſtitutum hoc loco eſt docere tantum, qua lege præſens contagium ab aliis in nos tranſiturum caueatur; ne & nos inquinemur ac proſternamur. Quoniam igitur has febres cõtagioſas eſſe patet, ac facile ab vno ad aliũ tranſſilire; inſuper ipſum contagiũ nunc plerumq; eſſe ex tactu (Fomes vtique & radix è peregrinis ſeſe locis ad nos receperũt) Nam, vt malum à malo putredinem contrahit; ita homo cùm ab infecto afflatur, aut ex eius poculo bibit, vel etiam in lecto poſt emiſſum ab eo ſudorem cubat, inficitur & ipſe. Quoniam, inquam, hæc ita ſe habent, ante omnia quisq; ſe ab infectorũ habitationibus & conſuetudine ſubducat; aut ſaltem quàm maxime caute cum iis conuerſetur. Suffitum deinde domi excitet herbis & aliis rebus odoriferis, de quibus dictum nobis in libello de peſte: maxime vero iuniperi, radice, ligno vel baccis, & in eũ vſum paratis trochiſcis, iam vbiq; notis; idq; veſperi et mane quotidie. Pauperes vtantur radicibus imperatoriæ; liguſtici, angelicæ, mei, &c. ac ligno fraxini: quæ aërem vtcunq; corrigunt et renouant. Prodìturus in publicum, ſi infectionem metuat, & ſumere quippiam ad ſecuritatem velit, particulam de cortice citrij

vel aurantij mali capiat; aut de limonio, citrio, vel etiam cydonio condito; aut deniq; de succo cydoniorum, præsertim sincero & sine saccharo decocto. Potest etiam vti zedoaria, aceto rosaceo, absinthio, iuniperi baccis, & similibus præseruatiuis (vulgo dictis) de quibus alibi meminimus. Si cui vero magis arrideant ea quę apud Pharmacopolas prostãt, ex tribus, quæ subiiciemus, vnũ vel plura mercetur. Primum: ℞ theriacæ præstantissimæ vnc. j. boli armeniæ veræ aqua carduibenedicti probe lotæ dr. ij. seminis citri, scordij recentis, scabiosæ, ana dr. j. rasuræ cornu monocerotis, aut eboris scr. j. syrupi de succo oxalidis q. s. Fiat opiata; de qua capiatur dr. j. aut dr. s. vel quantum cuspide cultelli vna vice eximi potest. Secundum: ℞ myrrhæ selectissimæ vnc. s. gummi arabici, aloes hepaticæ, ana vnc. j. commi- nue, & cum succo rutæ ac melle exiguas forma pilulas; quarum aliquot sumito quotidie. Tertium est puluis Moibani; cuius omnia (vt vocant) ingredientia venenis à tota substantia & innata qualitate resistunt, & sunt nostratia. ℞ radicum valerianæ, ligustici, angelicæ, polypodij, vrticæ minoris, althęæ, ana vnc. ij. rad. asclepiadis vnc. j. fol. herbæ paridis N. 36. baccarum eiusdem herbæ N. 12. Hæc omnia ollæ indita, admixto largiori aceto, probe ob-

turata

turata bulliant ad ſeſquihoram: vbi refrixerint, eximantur, & torrefacta in puluerem redigantur; qui, ne exhalet, accurate contegatur. De hoc puluere ſume quotidie mane ſcr.j. ex iure, aut alio quouis liquore, aut coque ex eo ſyrupum. Quodſi ſudandum inde ſit, adultus de eo dr. j. adoleſcentior dr. ſ. puer autem ſcr. j. cum melle, ſaccharo, aut aqua ſcabioſæ ſumito. Tria hæc ad præſeruationem, addo & liberationem, infectorum ſufficiant: præſertim puluis poſtremo loco deſcriptus; qui magnam meretur laudem, & abs quouis exiguo ſumtu domi parari poteſt. Cui nõ ſatisfaciunt hæc, is vel me, vel alium de aliis adhibeat in conſilium. Poſtremo etiam non minima pars in his epidemicis morbis præſeruationis eſt, metum omnem excutere, nec imaginari morbum, aut ob oculos ſtatuere. Cùm enim terror mortis & imaginatio præualet, certo ſolet euenire, quod metuitur. Aiunt iureconſulti imaginationem facere caſum, & vulgo fertur iis, qui iacula metuant, à bello eſſe abſtinendũ. Quapropter omnes tales cògitationes miſſæ faciendæ ſunt. Nam, vt etiam Paracelſus teſtatur, imaginatio picis inſtar ſe habet; facile adhæreſcit, & ignem leuiter concipit. Hilaritate igitur hic opus eſt, & ex ſacris literis conſolatione; vt vanæ ſpeculationes, terrores & metus

mortis ex animo dilabantur. Vel, in alium migrandum eſt locum, in quo ſecuritate apud animum concepta, talium imaginationum obliuiſcaris vltro; quas, niſi ommittas, nec fuga, nec mithridatio, nec theriaca, nec alia re iuuaberis vlla.

De curatione harum febrium generatim, & de aëris correctione. Caput IV.

NEMO ferat inique, quando difficilis eſt & anceps harũ febrium curatio: cùm à diuina illæ cauſa manẽt, & aëris magna ſit varietas; ſubiectorum etiam, tum locorum, tum perſonarum non minor inæqualitas: cùm denique paucæ ſint à veteribus antidoti proditæ, quæ talẽ cauſam oppugnare recta valeant. Etenim, cùm eas propter noſtra ſcelera Deus immittat, ſemper cogitandũ medicis eſt de Deo (qui ſibi non patitur à quoquã præſcribi modum) Teſte Hipocrate 1. præſag. propter filiũ Chryſæ Sacerdotis grauem Troianis quõdam peſtem inuexerat Apollo: quod ignominia illam affeciſſent & violaſſent. Ibi Podalirius & Machaon ſuis medicamentis nihil efficiebãt; ſed ſacrificia, quibus Deum placarent, requireban-

bantur. Galenus lib. 2. de nat. hum. Hippocrati non admodum est æquus; exprobrat ei, quod non diserte (sicut decuisset) rationẽ curandi populares hosce morbos scriptis mandarit. Ob idipsum etiam Galeno eius asseclæ non abs re succenseant, obiiciantque, quòd cùm diligentissimus rerum naturalium fuerit indagator; nullum tamen peculiarem de peste similibusq; morbis (non minus ac ipse Hippocr.) ediderit librũ: sed eorum duntaxat particulatim in suis commentariis hinc inde meminerit. Nostri etiam præceptores inuentis illorum contenti, quicquid ex ipsis aliisq; veteribus probari nequit, haud facile admittunt; sibi parum confidentes. Alij quidam laboriosi, & propter opum tenuitatem contemti multa indies inuestigant; nec nihil etiam obseruãt & inueniunt. Verum quicquid in medium afferunt, contemnitur, ac ceu venenum, hæresis, adeoq; diabolicæ p̃stigiæ diffamatur. Vt haud immerito hac à Deo afficiamur pœna, vt dedita opera nobis vera abscondat antidota, quæ hosce morbos ex diametro possent oppugnare & auferre. Quò autem quisque meas curandi indicationes perspicue videat, hanc methodum seruare constitui, vt principe loco causas morbi auferre docturus sim (nam curationis venenorum methodum per omnia sequar)

Primum igitur, quando præcipuum venenum huius morbi ſunt noſtra peccata; præcipua etiã methodus ſit pœnitẽtiam agere, à peccatis deſiſtere, cũ Deo reconciliari, & ante omnia eum timere, precariq́;, vt miſericordiam ſuam erga nos declaret propter filium ſuum Ieſum Chriſtum. Deinde, quoniam etiam ſecunda cauſa eſt venenatus aër, ex peregrinis locis inuectus impulſusque; remedia proponemus, quæ aëri huic & veneno à tota ſubſtantia et innata qualitate reſiſtant, quotquot haberi poterũt: quantumq́; res patietur cauſarum et morborũ ametriam inter ſe committemus; quanq́; difficile id ſit, & propemodũ ἀδύνατον. Fatetur enim ipſe Galenus lib. 3. de præſag. ex pulſibus, q̊d ſæpe in eiuſmodi morbis decipiantur medici, turbentur, & quo ſe vertant, neſciant. Vident enim laudabilem ægrorum pulſum, bona coctionis ſigna. Proin ſpem & ægris et eorum familiaribus faciunt de recuperanda ſanitate; interim omnia mox peius habẽt, & ad mortem prҿcipitant. reliqua ipſe legito. Cũ ergo non ex voto ſuccedunt eiuſmodi curationes; vel quia periculoſҿ difficilesq́;, vel quia modũ ſuҿ pœnҿ nõ ſinit ſibi dictari Deus; cũ nihilominus medicinam creauerit: cogitandũ eſt huius morbi latentiorẽ eſſe cauſam, eamq́; à Dei voluntate proficiſci. Vnde licet omnẽ adhibeat diligentiã

medi-

medicus; tamen quia moriendum esse iam cõstitutũ fuit, nil proficitur. Cura porro morbi, quinq; his partibus absoluitur: 1. correctione aëris, & quos iam attraximus spirituũ: 2. medicinis vomitũ proritãtibus; quibus calida biliosaq́; materia, et quicquid lentũ, tenax, putridum & venenatũ ventriculo cõtinetur, eiiciatur vomendo: 3. purgatione corporis per aluũ, vbi à vomitu reliquiæ supersunt: 4. antidotis diaphoreticis, vt sudore, tanq̃; vniuersali corporis euacuatiõe, putredo et infectio (vbicunq; lateat) eliminetur: 5. reductione malignæ qualitatis, siue calidæ, siue frigidæ, ad iustã temperiem & mediocritatẽ. Atq; hæc ita generatim esto constituta curandi methodus. Iã quandoquidem etiam symptomatum causæ solẽt esse morbi; pro varietate symptomatũ huius morbi variȩ etiam indicationes constituendȩ sunt. Attamen cũ omnia fere sint erysipelata; præcipue ad curãdi erysipelatis & herpetis venenosi normã reuocanda sunt; nisi noui quiddam interueniat. De hisce vero symptomatibus duobus modis tractabo. Primùm, tanq̃; de morbis adhærẽtibus; deinde, vt de signis crisimis, quæ in morbi temporibus (principio, augmento, statu) ac diebus criticis spectantur. Docti mihi veniã dabunt, quòd in gratiam vulgi nõnihil à regulis methodi declinandum mihi censeo.

Quan-

Quando itaq; horrorem aliquis ſentit, aut repentinam ſitim, cum magno calore, cordis compreſsionem & laborem; cùm ſibi non cõſtat, & inſueto modo afficitur, cutis inhorrèſcit ac ſtridor increbreſcit dentium: quin iam inuaſerit eum hæc lues, haud eſt quod dubitet. Sunt qui tres quatuorúe dies infectionem circumferant, ita, vt cùm nõ bene habeant, & totius corporis laſsitudinem ſentiant; non tamẽ prorſus illis eo vſque documbendum fuerit. Quod maxime euenit, vbi vel alibi infectis adfuere, vel domi ſuæ iam decumbentes habent. item cum terrore, metu, ſolicitudine & imaginatione morbi turbati fuerunt. Tales ante oĩa, tum vrinam reddant, tum aluum exonerent, ſi poſsint; ſin minus clyſteribus, aut glandibus eam prouocent. Non dico purgare eos debere; ſed tantum excrementa iam quaſi matura cõſulo mouenda. Poſtea rectificandi et corrigendi ſunt ſpiritus vitæ, excitando ſequenti candela ſuffitnm ad omuia emiſſaria pertingentẽ; ad aures (inquam) os, nares, axillas, & reliquum corpus totum, à capite vſque ad pedes. Multi enim hoc vno remedio ab acutis febribus & venenatis morbis liberati ſunt. Principia enim membra et vitales ſpiritus (quæ vtraque à quouis veneno omnium primo moleſtantur et inficiũtur) mirabiliter inde reficiuntur,

tur,

tur, ac venenati excluduntur fumi. Nihil eſt ſuperſtitioſi, efficaces habet rationes; nec refert ſi non ſit conſecrata candela. Ea vero ad hunc modum confici debet. ℞ thuris albi vnc. j. ſ. thymiamatis vnc. ij. ſuccini tũ albi, tum flaui, myrrhæ, ana vnc. j. caphuræ vnc. ſ. croci dr. j. maſtiches dr. ij. aſæ dulcis vnc. ſ. cornu cerui menſe Auguſto capti vnc. j. ſ. angelicæ, pimpinellæ. ana vnc. ſ. ceræ lib. ij. ellychniorum ex cannabe, filorum ſericorum, aureorum & argenteorum, ana N. 3. Ex his complicatis, prioribus autem in puluerẽ redactis, ac ceræ probe mixtis fiat candela. Huius fumus omne vitium aëris & venenum tollit; ſpiritus (propter quos expetitur præcipue) admodum recreat. Oportet autem ſpiritũ ſpiritu et odore recreari & inſtaurari. Videmus, vt ad ingratos odores nares obturemus & ſpiritum cohibeamus; ne percipiamus fœtorem, à quo, cùm ſentitur, facile debilitamur. Adhæc vbi ſpiritus noſtri deliquiis animi vel conuulſionibus cõcluſi premuntur ac deiiciuntur, ſtatim atque odorifera nobis admota percipimus, erigimur, animumq; ac vires recuperamus. Ad eundẽ modum in pręſenti ſimilibusq; venenatis morbis ſpiritus, qui attractione contagij inficiuntur & cõtaminantur, ſuffitibus emendari & reſtitui; tum poſſunt, tum debent. Hæc tibi cauſa

ſuffi-

ſufficiat lector; inanes nugæ non multũ te iu-
uerint. Poſſunt etiam ex aliis aromaticis varia
parari ſuffimenta; modo ſint ſpecifica & ve-
neno pro anni tempore aduerſa.

De vomitu & purgatione: Caput V.

VOmitio cõuenit et iuuat in hac lue mul-
tum, non ſolùm ad educendũ venenum
contagioſum; ſed etiam quia ventriculus infe-
ctorũ fere pituita (quandoq; bile) ſolet abũda-
re: hanc attamen cieri tempeſtiue oportet. Ad
quam rẽ peculiariter faciunt olea lini, nucũ &
amygdalarũ amararũ; ſi horũ alicuius cochle-
are vnum, aut alterũ cum aqua tepida permix-
tum bibatur, ac deinde penna eiuſmodi oleo
tincta faucibus indatur. Item, ſi aſari decoctũ
miſceatur cũ oximelite, vel aceto, in quo agari-
cum decoxerint, affuſo pauco oleo anethino,
cito operatur. Penna oleo ſcorpionum tincta
& in fauces demiſſa mox vomitum concitat;
nec quicquam eſt inde periculi. Hoc alia etiam
rancida præſtant olea. Potes etiam accipere
olei ſcyllini vnc.j. anethini dr.vj. &c, vbi bullie-
rint, ebibere tepida. Talium emeticorũ exſtant
plurima, vel in primis nota. Quodſi nullum
tale ad manum haberi poteſt, radatur vnguis
polli-

pollicis, & quod derasum est (paululũ autem sufficit) cũ vini cochleari bibatur: vomere breui coget. Vt autem me serio, & ex animo tibi consultum velle intelligas, arcanũ quoddam ad hunc morbum omniaq; venena præstantissimum tibi reuelo, quod nihil praui in ventriculo relinquit, sed omnem impuritatem radicitus euellit. ℞ radicum bryoniæ, cyclamini, ana vnc. iij. hellebori albi vnc. j. Has radices probe mundatas, aut lotas exsica in vmbra, & in puluerem cominue: affunde aquæ vini rectificatæ quantum ad duos latos digitos supermineat: stent in balneo per aliquot dies: deinde lente per alembicum destillentur, donec nihil amplius exstillet: tum feces & quod in fundo remansit exime, cõminue, & aqua quæ effluxit, iterum irriga ac destilla; idq; tertio etiam repete; ac rite paratam aquã habebis: quã sic ad vsum adhibere potes: pennæ extremas plumas, quas reliquis abscerptis solas reliqueris, intinge aquæ, ac sic madẽtes immerge in haustũ vini maluatici, aut alterius, & ablue; postea vinũ illud bibe; ac breui vomes, exiguã hancce dosin vix sensu percipies. Si hîc metallorũ salia producere placeret, aliquot haberẽ: Vitriolũ saltem, quod Grillam vocãt, præterire silentio nõ possum. Huius si granum vnũ et alterũ ex vino bibatur, è vestigio vomitũ mouet,

quo

quo ventriculus, tũ onere leuatur, tum robur acquirit; nec quicquam infertur nocumenti. Poſtquã peractus hic labor, ſumatur vel vini, vel ſucci cydoniorum pyrorumúe odoriferorum hauſtus: aut etiam decocti menthæ, vel pulegij: quæ omnia ventriculum confirmant & venenis reſiſtunt. Tertium, quod ad tollendum venenum & cauſam huius morbi requirirur, eſt generatim euacuatio, quæ perficitur corporis purgarione, qua ſuperflua, poſt vomitum relicta, vel per aluum deiiciũtur; vel venæ ſectionc eximuntur, vel per cutis poros exſudant, aut diſsipantur, vel per cucurbicularũ attractionem eliciuntur, vel aliis etiam modis euocantur. Quòd autem violentę purgationes in principio ſtatim ſuadendæ non ſint, multæ, quarum enumeratione hîc ſuperſedetur, ſunt cauſæ. Quòd porro quidam hoc ſeculo venenatos morbos nulla ratione citius curatos obſeruârunt, quàm, cùm in principio ſtatim, ſiue in peſte, ſiue in peſtilentialibus morbis (antequam calor diffuſus eſſet, aut cor obſediſſet; dũ etiamnum cutis horreret; oſcitationes, pandiculationes & extenſiones membrorum durarent, & languor adaugeri animaduerteretur) arcana eſſent adhibita, veraq; alexipharmaca, quæ veneno vim attuliſſent; vomitũ, deiectionem & ſudorẽ vna & eadem opera mouiſſent;

qui-

quibus ab omni illuuie breui liberaretur corpus: huius (inq̃;) rei diuersa est ratio, indigetq́; altiori explicatione. Sunt autem eiuscemodi arcana ex auro & hydrargyro parata, & aurũ vitæ nominantur. Alia sunt etiam arcana sulphuris (nempe oleũ & essentia eius) atq; stibij. [**Excurrit autor in defensionem Paracelsicorum ex mineralibus pharmacorum: quam non sine tædio verti.**] Magnæ hîc motæ tragœdiæ; tantũ de venenis hisce (vt proclamât) tumultum doctores excitârunt, vt vix eorum meminisse liceat. Verum quòd ea non tam vehementia, tam calida, aut venenata sint, paucis hoc loco argumentis ostendam; donec tractatio de Antimonio ad vmbilicum perducatur. Idq́; adeo faciam, vt quibus domi hæc arcana parata sunt, hi caute ac prudenter iis vti quæant; nec tumultuosis subtilium quorundã sophistarum clamoribus moueantur: quandoquidem veram, innatam & specificam aduersus venena proprietatem obtinent. Certum est sulphur, stibium, chalcanthum & omnia mineralia ac salia cruda dũ sunt, admixta habere venena, atq; adeo lethalia venena; velut etiam omnes purgantes hærbæ, radices & succi habent: Omne vtiq; purgans, venenũ est. Quando igitur hellebori, rhabarbari, scammonij venenum ita præparatione & coctura corrigitur,

vt ſine noxa ſumi, purgare ac priſtinæ ſanitati reſtituere valeat: quando etiã omnia antidota & alexipharmaca (cuiuſmodi ſunt Aurea Alexandrina, Mithridatium, Theriaca, &c.) venenis reſiſtere nequirent; niſi ingredientia quædam participia forent veneni, quod aliis venenis opponeretur (Quomodo enim ſcorpionum oleum ſcropionis ictum ſanaret; niſi ſcropiões in eo prius enecti fuiſſent, et ſua qualitate id affeciſſent? Quomodo morſui canis rabidi mederemur, niſi illius ipſius canis pili, hepar & fel imponerentur? His certe rebus aſſentiri ſubtiles domicellos neceſſe eſt; nec refragari facile auſint.) quandoquidem, inquam, hæc ita ſe habent; quidni & mineralia huc redigantur, vt puro ab impuro & veneno ſeparato, ſine detrimento poſsint vſurpari? Ipſi medici cacatores ſuum venenum non ſeparant à purgantibus; correctiua tantum adiiciunt; ſubſtantiam, vt erat, relinquunt. In metallis & mineralibus ſubſtantia deſtruitur in totum, & noua prorſus res efficitur, alia forma & eſſentia prædita. Quod antea lapis erat, poſtea fit ſal, aut aqua pinguis: quod nigrum erat prius, fit poſtmodum rubrum, aut flauũ; mutatur re & forma: id quod herbis & radicibus illorum non accidit. Concedunt illi viperas omnium animalium (excepto baſiliſco) ſum-

ſumme venenatas, ſi coctæ & præparatæ comedantur, elephantiaſin curare (quod etiam crudo adſcribunt auro) Aut viperas coquendas aiunt, & in iure coctionis macerandum triticum, vel hordeum, quo paſcantur exinde pulli gallinacei (qui licet principio pennas hinc amittant; conſuetudine tamen ſuperato veneno pingueſcunt) quos pullos, poſtmodum edant, elephantia laborantes. In hoc nutrimento alexipharmacam vim ineſſe ſtatuunt, adeo efficacem, vt ſine aliis adminiculis elephantiaſin tollat. Aiunt item ciconiarum, anatum, & anſerum ſanguinem, pauonum carnem, & quicquid ſerpentes, lacertos, araneas eiusque generis immunda animalia (vt bufones, glires, mures, &c.) vorare ſolet, aduerſus venena pollere. vnde antidotus illa de ſanguinibus exſtitit. Immo omnia horum alimenta prorſus immutata contendunt; vt, quæ animal elaborarit, & concoctione prorſus euicerit. Itáne res habet? Nemo vtique negabit. At vero, cùm Phyſici & Ariſtotelici eſſe velitis; enſtaſin vobis adferam oportet, & hiſtoria probem vos non exactæ hic attingere ſcopum. Aliter igitur ipſe vos Ariſtoteles hiſtoria Indici regis docet: qui rex ſub prætextu ambiendæ pacis Alexandro magno for-



mosissimam virginem misit, ea ceu grato munere prosecuturus illum, & amicũ (qui simulatus erat) erga ipsum declaraturus animum. Ista virgo à teneris vnguiculis nullo alio cibo fuerat enutrita, quàm qui merũ esset venenũ, cicuta vel nappellus appellatum. Cui assueta pinguis euasit optimeq; habita; non secus ac pulli, de quibus nuper dictum, ex frumento in viperino iure macerato: adeo, vt in aula Alexãdri formosior esset nulla. Cùm vero Aristoteles Alexandri præceptor eam consuetos aliorum cibos auersari cerneret, et venenatum tantum expetere napellum: cumq; ex oculis etiã elucere venenum animaduerteret (splendore nigricantium eius oculorum cæteroquin omnibus arridente) Regi cõmercio eius abstinendum consuluit; ratus non posse non magnam eiusmodi dono subesse fraudem. Præceptoris ergo fideli consilio Rex obtemperans, aulicorũ consuetudini illam concedit: qui statim, atq; conuersati sunt ei, mortem oppetierũt; euasitq; perspicuum, quid hoc Indici Regis voluisset munus. Videte ergo domini, quàm vera sit vestra ratio: quid hîc veneni consuetudo præstiterit. An nõ id etiam immutatum et concoctũ fuit? At interim solo tactu tam potẽtèr nocuit. Iam, quod plus est, vos regum & principum doctores medici, gratia, fauore et opibus in au-

lis

lis pollentes libere dicitis ac ſuadetis veſtris principibus ac dominis, vt ferarum veſcantur carnibus; non modo earũ quæ venenatis globis & puluere proſtratæ, vel eſcis eius generis captæ ſunt (ſiue terreſtres, ſiue aquatiles) teſtãtes nihil eis ineſſe nocumenti: nec earum etiã tantum, quæ venenis nutriuntur (elleboro, hyoſcyamo, iuniperi baccis, coculis elephanti) vt ſunt coturnices, perdices, cerui (qui ſerpentes vorant) damæ (qui amaras montium herbas depaſcunt) lucij (qui bufones & tiphlas cõſumunt) ſed earum etiam, quæ cum venenatis coëunt & communem prolem generant; quales ſunt anguillæ, quæ cum ſerpentibus; gobij capitati, qui cum ranis; et muſtellæ fluuiatiles, quæ cum bufonibus conſuetudinem habent; quas, vt delicata fercula comendatis; eoq́; rem perduxiſtis, vt iecora muſtellarum fluuiatiliũ duntaxat pro primatibus reſeruentur. Hæc omnia nihil moramini. Sunt, inquitis, hi iſtorum animalium cibi; animalia vero noſter cibus: nec quicquã vultis nocere. Si nil nocent, ignisq́; & coctura omnia nocumẽta auferunt: quare de mineralibus, quæ à ſubſtantia ſua ſeparata et currupta nouam eſſentiam induunt, id ipſum negatis? **[De hac re vide librũ Eraſti de auro poculento.]** Vltro fatemini, tametſi in perdicibus, coturnicibus & piſcibus

nonnihil opiatæ naturæ relinquatur; non tamen admodum nocere (Pauperes plerique se cuperent etiam attagenibus vesci posse; sed huius veneni participes fieri nequeunt) Iam vero ideóne vestræ ferinæ calidæ sunt, intestina lancinant, & principibus vestris corrosiones efficiunt, quia talia venena deuorarunt? Si negatis: quomodo mineralia præparata & cocta tam venenata esse possunt? Equidem tametsi in se vim aliquam veneni reliquam seruassent; non tamen alia foret, quàm narcotica, qualis in vestris est coturnicibus. Quodsi narcotica vis coturnicum non est nocua; etiam hæc, quæ multo minor est, quàm in coturnicibus & ficedulis, quæ solo hyoscyamo pascuntur, non est futura nocua. An venenatæ radices, herbæ, semina, succi non inficiant ea, quæ attingunt; interrogandi erant in primis Turcæ. Intoxicata eorum tela ac terribiles machæræ inania sunt corpora, calore destituta (neque enim, vt animalia naturali prædita sunt calore) attamen, cùm iis læditur aliquis, facile apparet, quàm breui tempore venenum se ad cor inferat; &, quàm multis ex leui vulnere moriendum sit. Id certe ex veneno fit, quo arma erant infecta. Cur non igitur et animalibus escæ ex venenis paratę noceant? aut puluis bombardicus? vel infecta tela? Quæro

ro ex te, vnde mori eas arbitreris? Ex iactu certe & ictu raro: sæpe autẽ à veneno. Cùm enim ad cor id pertingit, tum cadendũ est eis: veluti, quando pisci caput tentat ebullitio escæ. Idem & nobis vsu venit, quando bombardico petimur globo. Quanto enim tum opus est labore dum venenum, hoc est, adustio, restinguatur? [Vide quid Botallus hac de re copiose disserat in libro de sclopetorum vulneribus.] quàm multis ex leui sæpe vulnere moriẽdum, vbi imperiti sunt chirurgi, qui adustionem exstinguere nesciunt? An non & bruta animalia vita prædita sunt? an non æque ipsis ac tibi venenum, quo attinguntur, per arterias ad cor prorepit? an non vna & eadem vtrobique digestio? quanto tempore sæpe discurrunt prius, quàm occidant? Sed hæc interim dominis vestris salubrẽ & regium cibum iudicatis. Edite, inquitis, clementes domini, nihil est periculi; ignis omnẽ noxam extraxit, disspersit, cõsumsit: nil superest nocumenti. Equidẽ haud nego hasce feras edẽdas. De veneno tantũ loquor: id non ita nocuũ esse vestro testimonio cõstituo. Quandoquidem igitur tale nutrimentũ noxæ est expers; cuius quotidie non parua sumitur portio: quomodo exiguum venenum in medicamento vix pisum æquante tantũ noceat? quod toties frixum, coctũ, assum et ignem ex-

pertum eſt? Merito nempe hic ignis locum et prærogatiuam, probationis deniq; vim habere debet. Paulisper ſuſtinete domini: ne ante tempus pronunciate. Si ſtibium, ſi hydrargyrū venenum eſt; dicite, quæſo, cuius ſit qualitatis? Si frigida eſſe in quarto gradu, & eorū frigus ratione tantum plumbeæ ſubſtantiæ lethale cōfirmatis: qui poteſt vrere? cur adeo feruoris inſimulatis? cùm nihil vnquam ſic perforarint vrendo, vt euphorbium. Etiamſi aſinorū veſtrorum culis multum inſpergeretur antimonij, non tamen tanta celeritate ad Lycum contenderent, quanta mulus ille, cuius culo pharmacopæus [Auguſtæ] aſſperſit euphorbium. Vociferamini ignem in tranſmutatione conciliare illis tam acrem calorem. Quodſi venena manent venena: vnde hoc vobis in mentē venit? præſertim cùm apud vos tranſmutationes non inueniant fidem? Dicitis venena, quo ſubtiliora reddātur, eo eſſe intenſiora: vt cùm eſſentia extrahitur è vino, quò extrahitur ſæpius, eo fit efficacior; & oleum caryophyllorū, quò ſæpius deſtillat, eo vehementius euadit: an non ita res habet? Vtique. Prima igitur qualitas in præſentibus iſtis multo redditur frigidior. Si antea fuit in quarto, iam futura eſt in ſedecimo. Redige hunc ſyllogiſmum ad Darij; quàm pulchram conſequentiā videbis? Tranſmu-

mutatio, coctio, digestio, maturatio multũ faciunt: hæ ignis ille sunt & calor, qui tale venenum aufert & propellit. Cõceditis item, si quẽ reptile venenatũ momorderit, locum esse cauterizandum, quo calore igneo venenum consumatur. Ecce igitur, si arcana nostra calida sunt, vt à vobis traducuntur; quã expedite venena per poros dispergẽt, expellent, fugabunt? Veteres illi optimi viri, Hippocrates & Acron Agragantinus vitiosa humiditate infectũ aërẽ in calidiorem, sicciorem & salubrem comutarunt accensis magnis lignorũ pyris; idq́; extra corpus humanũ in aëris regione. quid obstat, quò minus multiplex calcinatio & distillatio per ignẽ facta, minerale, licet calidũ & nocuũ, adeoq́; sulphur & arsenicum admixtũ habẽs, ad iustam temperiẽ redigant? cùm præsertim nihil flammam facilius concipiat, quàm sulphur; nullus etiam spiritus mineralis in igne consistat, sed auolet confestim. Proinde, vt alius quiuis calor, poros aperiunt, venena excludunt, cõsumunt, atq; instar cauterij proliciũt. Adhęc cũ vestri ventriculi in grauissimis morbis, vbi vires omnes prostratæ iacent, crudum aurum, margaritas, corallos, os de corde cerui, aut bouis (vti quidem sentitis) concoquant, & ex iis cordi robur sufficiant: quanto magis id hæc nostra digesta coctaq́; præstabunt, quæ in

ius, aut ſaltem pulticulam teneriorem, quàm quæ de lacte maxime tenera conficitur, redacta ſunt? Vbi autem veſtræ relinquuntur gallicorũ inunctiones, fumigationes & fomentationes? quin confutatis Paragranum, ſi tanta vobis eſt cõfidentia? Acquieſcam equidem tandem veſtræ concluſioni, Ignem auertere omnes noxas ſolere. Vtinam omnes nos dextre nos mutuo intelligamus; ac noſtros libros, noſtramq́; experientiam diligentius excutiamus. Veruntamen de his alibi copioſius. Nunc obiter volo nouas haſce medicinas non ita periculoſas, terribiles, et vanas eſſe, vt ab iis, qui eas nõ modo non præpararunt, ſed ne quidem viderunt, adeóque non intelligunt, vbiq; traducuntur. Quanquam haud negem etiam hac in re abuſum, nullo modo laudandũ, interuenire. Qui ergo his arcanis vti nouerũt, vſurpent; ac præſertim rite præparata: qui vero nondũ ea conſecuti ſunt intelligentia, hi ab eis abſtineát; nec cuiuis circulatori fidem adhibeant. Quibus porro medicamentis ad purgationes vti liceat, & quibus nominibus leuiora eius generis appellentur; indicabit caput (8.) de alteratione caloris.

De ſudore:

Ca-

Caput VI.

QVARTO loco ad huius febris depulsionem spectat sudor. quandoquidem de sententia medicorum omnino is mouendus est? Est enim sudor vniuersalis euacuatio veneni totius corporis, non in sanguine modo, sed etiam in habitu corporis, adeóque in omnibus partibus hærentis. Per hanc ergo venenū, quod circumstans frigus ad cor propulerat, excluditur. Nam, vt attractione spiritus simul etiam venenum attrahimus: ita sudore oportet illud ipsum ex omnibus membris exterminari. Nulla etenim corporis pars, licet parua, aëris est expers. proin sudare omnes possunt. Atq; ideo etiam sudor vniuersalis est euacuatio. Cùm ergo sudor ad vnam aut alteram, vel etiam tertiam horam promanauit, abstergendus est, & lintea reliquaq; tegumenta mutanda & renouāda sunt. Hic sibi quisq; caueat à calidis medicamentis, quæ vulgo temere in hunc vsum adhibentur: ne corpus iam antea plus æquo calidum magis etiam inflammetur. Maxime autem vitentur, aqua vini, piper, pyrethrum, castoreum, cruda caphura, crudumque sulphur. Constat enim hæc omnia similiaq; supra modum cor accendere: longéque alia est ratio, cùm pręparatum sulphur, aut caphu-

caphura præparata cum ſpiritu vini à quibuſdam exhibetur. Certum quidem eſt, ſulphur ſepties per vitriolum & ſal ſublimatū pręſtantiſimum eſſe contra venena prophylacticum. ſciendū tamen eſt, idipſum neq; ignē, neq; impuritatē vllā in ſe amplius continere: ſed quaſi cadauer & narcoticā rem eſſe, quæ in igne non amplius ardeat; ſed liqueſcat inſtar cerę. Ac tametſi id ad manum haberes; non tamen aptū foret ſudoriferum; ſed tantū pręſeruans. Aquę etiam vini & ſpiritus eiuſdem magna eſt diſſimilitudo. Caphura, tanquam cordiale, locū quidē haberet; ſed virtus eius eſt exterius potius, quàm intus reſiſtere venenis; commodaq; eſt ad imponendum & ad ignem ac feritatem extrahendum: licet etiam ſudoriferis propter partium tenuitatem, ad penetrationem admiſceatur. Ob odorem etiam ad fulciendum cor valde cōmendatur. Ad externas etiam infectiones, ad ſerpentum et ferarum morſus ſumenda, aut geſtanda eſt; (etiam ad fuganda animalia venenata accendenda) idq; vbi corpus nōdum eſt inflammatum. Sed in calidis iſtis ſudoriferis febribus nullus eius eſſe poteſt vſus; præſertim tā ineptis et abſurdis medicinis permixtæ. Etiamſi enim cæteroquin in temperatioribus cor confortet, & ad eius affectus vſurpetur: tamen fugax quaſi ſpiritus eſt, qui mox
ad

ad caput tendit, & odoris grauitate cerebrum infestat: nisi forte in calida cephalalgia ad refrigerandũ exterius imponatur, quò calorem secum auferat. Dubitatio certe non est leuis, an sudorem prouocet, nec ne. Quidam enim refrigerare volunt, & salis nitri obtinere naturã. Ad me quod attinet, nullum noui sal, quod propius ad naturã & qualitatem salis nitri accedat, quàm caphura. Vt enim sal nitri ignem tanquam contrarium refugit; ita caphura: quã siue coquas, siue asses, calorem non exspectat; statim aufugit. admisceas aliis quãtumcunq; potes & lubet, semper ad supremam vasis partem, ceu frigidiorem reliquis, concedit. Quo circa ad calorem extrahendũ vsurpetur, et aliis ipsi consentientibus admisceatur; quæ ab ipsa tanquam ductrice dirigantur & ducantur. Si sudare vis, mediocribus vtere, quibus moderatę sint qualitates: nisi peculiaria sint arcana, ex forma innata & specifica vim exserentia; quæ non nisi peritis vsurpãda veniunt. Tibi ad domesticam curam sequentia conferunt. ℞ pulueris Moibani, theriacæ, ana dr. j. aque oxalidis vnc. iij. aut cochlearia (nostratia) iiij. admixto aceti momento, ebibe, ac probe contectus suda. Aut, ℞ radicũ angelicæ in puluerem redactæ, theriacæ, ana dr. j. aquæ angelicæ cochlearia iiij. aceti cochleare j. totum hoc hauri

cali-

calidum. Radix helenij in vino rubro decocta, & rubras maculas euocat præclare, et ſudorem mouet. Vinum, in quo caltham coxerint, idem præſtat, ℞ veronicæ puluerizatæ & theriacæ, ana dr. j. aquæ veronicæ vnc. ij. bibe calide; ſuda. ℞ radicis liguſtici puluerizatæ dr. j. cum aceto vini: lethale venenenum eiicit. Idē præſtat radix imperatoriæ, vino decocta; ſi decoctum haurias. Succus rutæ cum theriaca & aceto vini 24. horis ter hauſtus omne venenum per ſudorem expellit. ℞ ſeminis acetoſæ in tenuem puluerem redacti ac theriacæ, ana dr. j. hauri cum aqua acetoſæ. Tormentillæ, valerianæ, radicis ari præparatæ decoctum ex vino cum theriaca potum, ſudorem itidem elicit. ℞ Cæpam vnam; excaua; cauum imple theriaca; aſſa ad ignem; dein exprime ſuccum, & cum aceto atque aqua acetoſæ ſume. Huius efficacem vim experti ſunt multi. Hæ ſimilesq; ſudoriferæ potiones vſurpentur; quæ non ita vehementer calidæ ſunt; cum interim ad excludenda venena ſufficiant, & quidem à tota operentur ſubſtantia. Quodſi vero omnino ſudare nequeas, vtaris lateribus ignitis aceto perfuſis; aut ſtanneis lagenis calida impletis & in lectum ad pedes, genua vel ilia coniectis. Eximenda etiam è furño maſſa panis calida, quam in medio excauatam theriaca cum ace-

to

to permixta compleas: ac si interea forte refrixerit, inpositam crateri denuo calefacias: tumque calidam ita imponas ventri, vt foramen vmbilicum contegat. Potenter omne venenum extrahit, vt in libello de peste dictum est. Hic panis post vsum abiiciatur in aquam; ne forte comedatur: necaret enim. Sudor calidis detergatur linteis, non frigidis; ne venenũ intro repellatur. A sudore intra 24. horas non permittendus ægro somnus: nihil enim æque pestiferum; quemadmodum in sudore Anglico, morbisq; pestilentialibus aliis obseruatum est. Vt enim ei; qui venenum hausit, si obdormiscat, statim illud ad cor repit: aut is, quem venenatum animal momorderit pupugeritúe, si dormire permittatur, breui moritur: sic etiam in hoc morbo per somnum statim cor impeteret venenum. Ideo vel verbis iucundisque fabulis æger à somno prohibendus, vel acri aceto spongia naribus admoto vigil detinendus est; ne saltem 24. horarum spacio dormiat. Multis ideo dormiendum, quòd somno priuari nolunt. Sunt enim, quos, licet fideliter admoneas periculi, tamen audire te non sustineant. Posteaquam ergo iam ad duas, vel tres, horas sudauit æger, vires instaurantia medicamenta sunt exhibenda; quibus cerebrum, cor, & hepar reficiantur,

& robur acquirāt. Ceu ſunt ſaccharum roſaceum, violaceum; citriorum, granatorum ſimilesq́; refrigerantes & acidi ſucci; vt ceraſorum acidorum, ribes, berberum, oxalidis, & alij. Manus itē Chriſti perlatæ, & ſimilia quæuis; de quibus etiam in ſequentibus dicetur. Offerenda etiam ſunt iuſcula efficacia; vt caponis & eius generis alia.

De venæ ſectione: Caput VII.

QVOD venæ ſectio non minima ſit euacuatio, qua vitioſus ſanguis purificetur, & feruor eius extinguatur, haud inficior: cùm quarto Regim: acutorū dicat Hippocrates, In omnibus fere morbis acutis, in quibus humores non turgent, &c. Vbi vult omnium propemodum acutorum morborum curationem à venæ ſectione auſpicandam, in quibus humores non turgent: Vt phlegmonarum, internarum inflammationum, & aliorū ex plethora morborū: ſi quidem ętas et vires permittant. Si autem vnus ſolummodo humor à ſanguine diuerſas abundet, aut putreſcat; vel etiā parum boni ſanguinis (cæteris humoribus copia ſuperantibus) adſit; à purgatiōe morbi curationem inchoandā arbitratur. Hac doctrina com-

commoti ſunt medici, vt fere in febribus non venenatis,in angina, pleuritide, peripneumonia, hæmoptoëſi & phrenitide venæſectionē præſcribant.In febribus nimirum exſpectanda eſt maturatio,aut concoctio prius, quàm pronuncietur,quinam humor ſit in vitio. Tumores de quibus dictum, ſunt phlegmonæ; & ex ſanguinis inflammatione generantur. Alij ſimilem habēt ortum; & in iis ægri viribus fere cōſtant. At experientia iam aliquot annis docuit, acutos iſtos morbos, qui ex venenata calidi et putridi aëris cōtagione populatim graſſante oriuntur (vt & antea dictum) venæ ſectioni non cedere; quæ infectis omnino periculoſa, & nullo modo imperanda eſt; neque omnino ſine certiſsimis abundantis ſanguinis argumentis vſurpanda. Cauſa eſt, quia feruida putredo huius febris adeo ſubtilis, præceps & peruerſi moris eſt, vt in momento cor attingat, occupet, arefaciat, exurat: non ſecus atq; ellychnium à magno lumine, quod oleum rapide trahit & abſumit, exſtingui neceſſe eſt, poſteaquam humorem amiſit. Pari nempe ratione hæc febris cordi omnem humorem & pinguedinem eripit, à quibus conſeruari debebat. Ideo conſultum eſt omnino abſtinere à venæſectione; quò cor ſuam humiditatem, id eſt, ſanguinem, retineat; nec prorſus ea deſti-

tuatur: præſertim, cùm & vires plus æquo ſint proſtratæ. Ad hæc, cùm ideo phlebotome ſoleat à medicis inſtitui, vt copia ſua moleſtus ſanguis à nobiliori membro auocetur, et ad ignobilius deriuetur (dum nempe in illo tumoris ſeu phlegmones ortus metuitur) nouerimus nos has, de quibus agimus, ex vitioſis & putridis vaporibus profectas affectiones, non ex ſanguinis, qui ſuã retinet ſymmetrian, abundantia ꝓuenire: ſed extrinſecus irruere; nec ab interno ortu ꝓgigni. Quid educas, tota ſanguinis inflammata maſſa? Non ita facile vniuerſalem hanc auertere licet inflammationẽ; vti particularem aliquã liceret. Quo item auertas, aut deriues impurum hunc & putrentem ſanguinẽ, quo omnia ex æquo principalia membra tanquã flamma incenduntur, & vt ferrum candẽs ardere cõſpiciuntur. Exemplis res manifeſtior euadet. Laborat aliquis tumore colli, angina vel ſynanche vocato, ex abundãti ſanguine. medicus venam ei ſecat in eiuſdem lateris brachio, de conſilio Hippocr. vt ſanguis partim per humerum & brachium educatur, partim delabatur & ſubſidat in ſubiectas partes, in quibus nulla eſt inflãmatio; vt ſunt pectus, latera, &c. Hîc in tã periculoſo ex abundanti ſanguine tumore confert ſectio venę. Atqui in anginis, quas mihi videre in hac lue cõtigit,

tigit, non magni & alti aſſurgebant tumores; quales ſunt phlegmonarum: ſed vrebantur eo loco tantum ægri, excitato igneo rubore, qualis eſt eryſipelatis; qui totum corpus peruagaretur. Non præterit autem Galenicos in vero eryſipelate venæſectionem prohibere Galenum; ne ſanguis corpori ſubtrahatur, & illud à bile plus etiam torreatur. Aiunt enim ſanguinem frenum eſſe bilis: cùm videamus ſubtracto ſanguine bilem vehemētius exæſtuare. Quodſi ergo tales inflammationes eryſipelata forent, & non phlegmonæ: etiam atque etiam perpendendum tibi foret, num pręcepta illa ſequereris, nec ne. Si feruidum ſanguinem ad ſupernas partes deriuares; phrenitidi cauſam pręberes: ſi inferius ad latera; pleuritidi: ſi ad pectus & dorſum; aliis; velut renum & vicinarum eis partium, inflammationibus. Quocunq; duceres, noceres; & partem tantum ſanguinis educeres; omnem vero non poſſes. Pari ratione in phrenitide, ſi deorſum ſanguinem traheres, periculoſam illam anginam excitares, & pectus ſuffocares. Breui enim hi morbi iugulant; puta duobus, tribus, aut quatuor diebus, & ſummum, ſeptem: octauo enim die, ſi ſuperſit æger, fere conualeſcit; niſi ipſe ſe nimia ſecuritate ita negligat, vt malum recurrat. Spiritus vitales totū

corpus permeare solent. hi in præsenti febre sic ardent, vt totum corpus ab eis inflãmetur, & quasi ignitum euadat. Propter enumeratas iá causas venarum omittatur sectio: cùm magis etiam accendatur et exacerbetur inde sanguis. Leuibus reuulsionibus, vt frictione, quæ manibus, aut pannis non ita asperis administrata fuerit, & impositione cucurbitularum plus effectum est, quàm phlebotome. Quidam etiam venulas sub lingua in phrenitide et ardore linguæ recluserunt, dolorisq; sensere mitigationem. sed in hac febri non iuuat. Experimur etiam reuera, pueris minus esse ab hac lue periculi, quibus (ætate non consentiente) venæ secari non solent, quàm adultis. Ad hæc notũ est, semper à venæ sectione maiorem inflammationem, grauiora symptomata & debilitatem exstitisse: &, quod etiam spontaneæ vacuationes & sanguinis motus difficiles crises attulerint: cuiusmodi sunt narium, ventris & mensium fluxus. Quibus enim mulieribus profluere menses cœperũt acri, calido et febrili sanguine se ex maioribus venis in exiguas vteri cũ menstruis inferente, iis grauis inde cõmotio et profluiũ exstitit; quo exaruere; aut conuulsiones (à quibus mors) insecutæ sunt; vel saltem diuturni labores: adeo, vt eiusmodi vacuatio, licet ab ipsa natura instituta, nihil prosit.

ſit? Atqui medicus naturã, veluti certiſsimam magiſtram, imitari debet; ideoq; ſine grauiſsimis cauſis venæſectionem nequaquam ſuadere: præſertim cũ in hac lue ſtatim vires proſternantur; quæ cuiq; medico cum primis accurate perpendendæ ſunt. Obiicias autem fortaſsis; cur in peſte tunditur vena? Cur omnes veteres et recentiores in ea pertundendam docent? Reſpondeo. In peſte turget materia & alicubi erumpit ac ſedem figit; maculæ, papulæ, tumores ſe proferunt; per quæ omnia, ſi aperiantur, interiora, refrigeſcunt, & venenũ conuenientibus emplaſtris & medicamentis extrahi poteſt. In hac autem febri nullũ eſt emiſſarium à naturæ impetu quæſitum, per quod calor emitti queat. Sed per totum corpus hinc inde is diſcurrit, & partes ſolidas accendit; cerebrum, cor, pulmones, hepar, renes & omnia interna membra; eaq; exſiccat. Inſuper haud in omni peſte locum habet phlebotome. Cur igitur in cæteris febribus? Ideo; quia in illis calor ſubinde ſe remittit; in hac autem perpetuo durat; donec vel interficiat, vel ſedetur. Nec in illis cauſa tam eſt venenata, quàm in hac. Putreſcit ſæpe vnus tantum humor internus; nõ omnes, vt in hac. Vitium aliquando in ſolis humoribus, aliquando in ſpiritibus duntaxat hæret: hîc vtrique ſunt infecti. Quodſi peractis

aliquot ab initio diebus, facta iam crisi, vnum tantum æstu vel tumore laboret membrum; adeo, vt secanda ideo vena videatur, quò citius ad declinationem morbus properet, & membrum mitigato iam calore, leuetur: ibi me difficilem ego non præbeam. Attamen quisq; diligenter videat, quid agat. Preciosa est hominis vita; non fœni plaustrum. Quod ad postremũ argumentum ab experientia petitum, attinet: quibuscunq; ego venam apertam cognoui, ij omnes breui diem suum obierunt. Cuius rei viuos possem producere testes. Experto crede Ruperto. His quatuor [vel quinque] remediorum generibus, de quibus hucusque dictum, Vngarica isthæc febris initio curanda fuerit. Quod dextre velim intelligas; nec omnia simul & necessario adhibenda opineris: neque enim hæc mea est sententia. Obseruanda in primis est ei, qui medicinam facere velit, natura; vt videat, quò vergat; iuxta illud Hippocratis; Quò natura vergit, eo ducere, per loca conferentia, &c. Ibi ei succurrendum est: nec impedienda; sed in cœpto promouẽda. Veluti cũ initio ad nauseam & vomitum solicitat; adiuuetur: quando per habitum & cutem exitum quærit; moueatur sudor: vbi ad aluum deiicit; clysteribus et potionibus ducatur ac ꝓmoueatur. Cùm itaq; per initia duo illa se ostendunt,

vitanda eſt venæ ſectio. Sin minus; ſed apparẽt ſigna venæ ſectionẽ monſtrantia; vt ſicubi bubo, vel peſtilentialis oriatur macula; venã ſtatim aperi; nec vltra 24. horas differ. Moram enim hi acuti morbi nõ patiuntur: mox ad ſtatum contendunt; ac biduo triduóue iugulant. Cor nempe & ſolidas partes ita occupant, vt omne auxilij genus reſpuãt. Hîc ſumma opus eſt cautione, prudentia diligentiq́; medici circũſpectione. Variis enim modis hic morbus, hæc (inquam) febris inuadit; pro natura horarum anni, tempeſtatum, cibi potusq́; qualitate, pro conſuetudine, conditione humorum & qualitate, pro ætate deniq; & cõſtitutione corporum: circa quæ diligens adhibenda eſt animaduerſio. Etſi namque ſexcenti eodem loco decumbant; nullus tamẽ fere, vt cæteri, affectus eſt. Hic ergo ignis, qui febris eſt, & ab ore dñi procedit ſuper Iuda & habitatores Ieruſalem, vocatur (inquit) Dominus Ieremiæ 4.) Indignatio mea, hoc eſt, Furor meus, quem accenſum nemo eſt, qui reſtinguere valeat. Qui (Dominus) mirum contra hunc morbum oſtendit remedium; quod eſt; circumcidite vos Domino, & amouete præputium cordis. Hoc nimirum iſti cauſo verum alexipharmacũ foret, ſi noſtra malitia & abominatione reiecta pœnitentia illius ardorem exſtingueremus.

CAPVT

De alteratione caloris in frigus moderatum: Caput IIX.

QVONIAM pręsentes hę febres fere causodes sunt, id est, velut ignis ardentes; et venenatus aër causa cõtagij flammeos hosce fomites secũ infert: peractis vniuersalibus, statim ignis & ardor hic exstinguendus et opprimendus; corpus etiam ad æquabilem frigiditatem reducendum est. Etenim hi fomites vel sanguinem, vel bilem accendunt, vel per se propter copiam efferuescunt: pręsertim, si quis post inediam, labores, aut æstum inficiatur; vel etiam assumtis calidis alimentis medicamentisúe; quæ & ipsa frigidos humores accendere possunt: veluti cùm sal in corpore resoluitur, & cũ phlegmate ebullit. Verumenimuero siue feruido aëri, tanquam externæ causæ, siue contagiosis fumis, siue aliis rebus adscribas hunc ardorem; diligenter animaduertendum, ne qua re ille augeatur; sed perpetuo minuatur. Venæsectionẽ in primis caue, ne adhibeas (etsi alioqui primus alterationis modus habeatur) nisi euidentes & graues causæ te moueant. Calor enim & inflammatio eam sequuntur: &, vt Galenici dicunt, bilis excandescit. Quod venæ-

venæsectionem toties interdico, in causa est, abusus, qui inualuit vbiq; ; imperitorum item subsannationes & multiplices calumniæ: nec minus & hoc, quòd has febres ab aliis discernere nolunt: sic nempe ab Italis persuasi. Cùm Italici mores in Germania nunquã quicquàm attulerint boni. Quos mores, si & in politicis auersati fuissemus, adhuc essemus Germani; non Tedesci Italianati. Alterare igitur si vis calorem, primum illum modum omitte. Alter modus calorem in frigus commutandi est, efficere ne aluus adstricta sit. Videmus enim vel infantes mox vbi obstructi sunt, mire incalescere: statim vero atque matres cereolis obstructiones eorum expediuerunt, calorẽ etiam euanescere. Sic etiam magni febris huiusce calores aluum tuam adstringunt. Arefaciunt enim excrementa, vna cum corporis humoribus, et omnia ad siccitatem perducunt. Magna igitur habenda cura, quò libera retineatur aluus. Non enim minima curationis pars in hoc cõsistit. Atqui suprà fuit auditum, purgantia fere accendere solere corpus; adeo, vt ab eis non parum immineat periculi. Qua propter leuissimis cholagogis hîc vtendum: reliqua vero purgantia prorsus vitanda. Duplici autem de causa cholagoga conferunt; vel ob simplicem calidam intemperiem; ad eam mitigandam:

vel quoniam (vt aliquoties iam dictum) erysipelatodes sunt hæ febres; & in visceribus erysipelata, hoc est, bilosos tumores excitant: hæc autẽ purgantia bilem educunt & imminuunt. Ad purgandum ergo & apertam retinendam aluum hi syrmæsmi tibi præcipue commendati sunto: nobiles illi succi rosarum & violarum, cum rore Maio mense collecto extracti; succus florum persicorum, prunorũ, prunorũ syluestrium, eodem illo rore per multiplicem infusionem extractus; essentia lactucæ & portulacæ. Hæc omnia feruorem bilis mirifice domant. In quorum penuria vtere iure prunorũ Damascenorum, vel tamarindis coctis, myxariis, cum 4. seminibus frigidis (minoribus) et 4. floribus cordialibus (rosarum, violarũ, boraginis, melissæ) Quidam vtuntur casia, manna, catholico, diaprunon solut: Sed non est dissimulandum, hæc omnia, nisi per secessum abeant, æque ac rhabarbarum in bilem conuerti, & calorem adaugere. Quodsi clementes illi facilesq; succi non mouerent aluum; possent adhiberi clysteres alterantes, ex seminibus cydoniorum, melonum, cucurbitæ, lini; ex maluis, seminibus frigidis minoribus, herbis refrigerantibus (mollificantibus dictis) vt malua, violaria, lactuca, &c. cum oleo rosaceo, violaceo, butyro recenti mixtis, vti notum est. Et

hæc de ſecundo reſiſtendi calori modo. Poſthæc proxime cor eſt reficiendum, & recuperandæ confirmandæque vires efficacibus alterantibus; magnum illum & incredibilem æſtum interea contemperando & refrigerantibus ad frigus deducẽdo. Veteres ſine aliis mediis aqua frigida vſi ſunt; vt infra monebo: qua nos iam prætermiſſa tibi conſulimus, vt aquis tuis ſtillatitiis, refrigerantibus & ſuccis & iulepis eius loco vtaris. Sunt autem præcipuæ aquæ, roſarum, violarum, carduibenedicti, oxalidis, florum prunellorum, intybi, cichorij, boraginis, bulgoſi, trifolij acetoſi, & huius generis aliæ. His aquis permiſceri poſſunt præcipui ſucci, qui ſunt, iulepus roſatus, violatus & oxalidis; ſyrupus de nymphæa, acetoſitas citrij, granatorum & limoniorũ: ſucci item ceraſorum, cum aliorum, tum vel maxime acidorum, cydoniorum, prunellorum, baccarum ſambuci, chamæactes, mororum: noſtratium deniq; vehementer alterantium et excellentium ſucci; ribes (inquam) & berberum; qui acore ſuo feruorẽ huius febris omniũ commodiſsime reſtinguunt. Hæc ergo inter ſe mixta frigide, non modo veſperi & mane, ſed etiam interdiu ſæpius exhiberi poſſunt. Licet etiam aquæ fontanæ commiſcere. Alterantia iſthæc non calori modo, ſed etiam veneno,

ex



ex innata qualitate & ſubſtantia reſiſtunt: pręſertim citria, aurantia, & alia, quæ pulueribus cordialibus permiſceri ſolent. Autor etiam tibi ſim, vt in principio, creſcēte etiamnū morbo, et nulla dum exſtante criſi, frigida iſta caute tractes & applices (loquor etiā de localibus, quę refrigerandi gratia exterius imponuntur) ne per ea criſis impediatur: debetq; occaſio exhibendorum (de qua inferius dicetur) probe attendi: ac faciendæ ſunt euacuationes prius, quàm criſis ingruat; ne in eruptione naturæ opus turbetur. Fere enim natura, vel ad bonum, vel ad malum viam quærit, qua morbum ſubita, ſiue ad vitam, ſiue ad mortem conuerſione terminet. Quarta alterandi ratio eſt per cōuènientis ſucci alimenta. vbi inueteratæ caponis aquæ ſtillatitiæ, vel contuſæ carnes nil proſunt. Sed ſi ſuccum carnium, aut aquam caponis omnino exhibere vis; fac ſint recentes. Verum de hac re plura in capite de viriū inſtauratione. Quinta via conſiſtit in topicis, quæ inflammatis membris exterius imponi ſolent. Siue autem hæc aquæ ſint, ſiue vnguenta, ſiue cataplaſmata, ſiue cucurbitulę, ſiue alia, quę ſequentur; admodum frigida imponi non debent, neq; capiti, cordi, pectori, ventriculo, neq; fronti, collo, lumbis; quantumuis refrigerare debeant: idq; nō modo, ne natura (quod antea

quo-

quoque dictum) in suo cursu impediatur: sed etiã, ne calor introrsum repellatur; vnde damnum irrecuperabile faceret æger; præsertim in ardore linguæ. Ac multi quidem hîc latrocinia committunt, dum gargarismos extremæ frigidos ingerunt, & calorem ad extrema cõuersum repellunt. Quare caute ac prudenter hac in parte se quisque gerat. Hæc febris principalia viscera, cerebrum, cor, hepar mire accendit. ea, quanam ratione, non modo per localia; sed etiam per pulueres (tum exhibendo, tum imponendo) custodiri conueniat, in capite de instauratione viriũ & refectione copiose monstratur. Illinc igitur talia epithemata et alia petenda. Cibus, potus, & omne auxilij genus eo dirigendum est, vt æstus corporis & putredo auferantur: ne membra siccentur, omnis humor & pinguedo discutiantur, nerui venæq; contrahantur, & fons vitæ, humidum radicale, exarescat. Vt enim antea dictum, hæcticæ sunt hæ febres, hoc est, maligni moris, & consuetudinem habẽt omnia exsiccandi exurendique; membra denique nostra ad meros carbones, & quasi exusta candelarũ ellychnia redigendi. Quod, vt caueatur, totum etiam corpus à collo per dorsum, brachia, crura, pedes et latera humectantibus & refrigerantibus linimentis inungatur. Ad hoc ℞ butyrum recens,
vel

vel oleum violaceum, aut roſaceum; vel florū nymphææ, vel cucurbitæ (quodcunque ex his habere potes) aut vnguentum roſatum Meſuæ: reduc ad teporem, immerge molliculum pannum, aut ſpongiam, qua perunge totū corpus, & manu calida leuiter humorē impinge, donec imbibatur. Pinguedo muris alpeſtris, anſeris & porci innata eſt hunc æſtum compeſcendi virtute prædita. Hac ratione corpus nō modo refrigerabis; ſed etiā paulatim imbues humore, qui obſtabit ne partes eius exſiccētur. In caſu neceſsitatis ægrū aqua calida irriga; aut alia refrigerante aqua; vt roſarum, ſolani, &c. Sed his tamen tepidis vtere. Poſsint & aliæ fieri reuulſiones, quibus calor atque dolor ad ea loca & membra dirigantur deducanturque, quæ minoris ſunt momenti: quales ſunt. frictiones mollibus pannis aliáue ratione administratæ, ſimiliaque. Ac ſi periti adeſſent medici, qui ex vſu iudicarent, poſſet etiam ſequens adminiſtrari reuulſio, qua ego ſæpe plurimum profeci. quotidie ſemel et iterum plantis pedum acetum, ſal & rutæ ſuccum illeui; cruribus autem aquam ſalſam calidam impoſui. Pauperibus etiam ſola ſalſa calente aqua circumdedi caput; quæ viridem & flauum elicuit eis ſudorem. Impoſui & coſtis in laterum punctionibus, eaſque mitigaui. Adeo, ne iſta qui-

quidem contemni debent. Hæc generatim de refrigeratione dicta ſunto. De ſymptomatibus ſequenti iam capite dicetur.

De omnis generis ſymptomatibus huius febris. Ac primū de phrenitide & veternoſo capitis affectu: Cap. IX.

BREVITER nunc etiam de miſcellaneæ huius febris ſymptomatibus (hoc eſt cōcurrentibus affectibus) quæ ego obſeruaui, verba facienda ſunt, et oſtendendum, quanam ratione oppugnari curarique poſsint. Duo autē ſunt eorum genera: alterum pathognomonicorum, quæ cum morbo ſe efferunt, &, licet ab eo ſeparari nequeant, morbus tamen ipſe non ſunt: alterum criticorum, quæ aliquanto demum poſt, morbo ſe vel intendente, vel remittente naturæ operatione ſuperueniunt, quæ ad ſignificandum, vel proſpera, vel aduerſa faciunt. Vtrumque genus pro natura et differentia cōtagij ac membrorum, tum principum, tum aliorum, circa quæ apparet, variare conſueuit. Nam, vt etiam ſupra ſignificatum, hæc ſymptomata varia ſunt, pro varietate locorum

rum, quibus accidunt. Quoniam vero ebullitiones bilis, eryſipelata & herpetes miliares præcipue ſe oſtendunt; maxime etiam ad normam eorum omnis curatio fuerit inſtituenda; quemadmodum etiam ſuis ſingula locis percipientur. Iam duo graues, & vehementes capitis affectus ac rationis oblæſiones primũ nobis occurrunt; quorum magna diligensq; habenda eſt ratio. Prior eſt phrenitis, ex magno calore & inflammatione membranæ proxime cerebrum ambientis oborta; ſulphureo & arſenicali veneno eryſipelas ibi excitãte. In hac ægri admodum inſaniunt & furiunt: iam rident, iam iraſcuntur, iam ad verbera proruũt, & omnino inſtar furioſorum ſe gerunt: facies ardet vti pruna; queruntur ſe in capite & oculis vehementiſsime pungi (& ſane punctorius dolor adeſt ingens) petunt ſibi caput, circundatis etiam circulis, fortiter vinciri; maxima ſiti, & ariditate linguæ & oris laborant. Hîc probe cõſideranda eſt aphoriſmi Hippocr. doctrina: Deſipientiæ, quæ cum riſu fiunt, ſecuriores: quæ vero cũ ſtudio, perículoſiores. Vbi in commento Galenus adiicit, Omnium periculoſiſsimæ, quæ ſunt temerariæ. Addit idem, Quæcunq; ex ſola fiunt caliditate, ſine humore vitioſo, ſimiles quodammodo ſunt eis, quæ ex ebrietate contingunt. Quæcunque vero ex

flaua-

flaua bile; cum ſtudio perficiuntur: ipſa autem multum exuſta, vt iam magis ad atræ bilis naturam accedat; ſunt inſaniæ ſatis furioſæ. Hic diſcrimina cum cauſis breuiter indicantur à Galeno. Alter affectus eſt veternoſus et narcoticus, pro natura frigidi ſui veneni, cum pulſatorio & grauatiuo (vt loquuntur) dolore. Caput his ægris eſt graue, in quo ſibi plumbũ ineſſe putant: iacent ſine ſenſuũ & rationis vſu: continenter, & apertis quidem oculis, dormiunt; hinc inde ſe volutant; ſæpe vrinam reddere cupiunt; quam vbi reddiderint, obliuiſcuntur matulæ: dum item cibum capiunt, obdormiſcunt: per nares craſſum phlegma, ſeu mucum emittunt; aut ne quidem poſſunt emittere quicquam: ratione non conſtant, mira loquuntur, perterrefiunt leuiter, et facile conuulſione corripiuntur, in qua ſpumã per os emittunt & euomunt. Periculoſum & miſerabile eſt accidens. In his duobus capitis affectibus magnum curationis diſcrimen eſt obſeruandũ, magna adhibenda diligentia. De qua paucis te erudiam. Sunt vero hîc etiam memoria repetendi Hippocr. aphoriſmi: In quo morbo ſomnus laborem pręſtat, malum eſt. Et, qui cõtra docet; Vbi ſomnus delirium ſedat, bonum. Item; Quibus cum oculorum conuerſione, vel contortione ſopor fit, pernicies præſens eſt.

CAPVT

De calido illo pungenti capitis affectu.

Cúm igitur magnum calorem, pulsationẽ, inflammationẽ faciei in ægro animaduertis: dolorem item per oculos erumpentem, qui rationem imminuat & furorẽ inferat: cubili tenebras inducito; in aëre fac ille temperato cubet. Non sit admodũ calefactum conclaue; sed tamen liberum à ventis & intenso frigore. culcitras & linteamina violarum, rosarum, aut nymphææ aqua consperge. Capiti raso contusas rosas, violas, aut flores nymphææ, aceto rosaceo calido rigatos impone, adiecto salis momento et oleo, vel rosaceo, vel violaceo, vel florum sambuci: hoc obseruato, vt panni fortiter exprimãtur; ne nimis sint madidi. Cerebrum confirma odoriferis floribus & herbis, nodulis ex ambra, &c. suffitibus, aquis vitæ. Pessos item ex bombyce confice; quos aqua, aut aceto rosarum immersos, in ægri nares immitte. nec omittas hoc oxyrrhodinõ, donec mutationem & remissionem caloris sentias. Singulare est id, quod sequitur, vbi oculi vehementer illachrymant: ℞ albumen oui; probe agita cum aqua rosarum; admisce aquam florum sambuci, ac boli Armeniæ vnc. ſ. immersa cannabe, impone temporibus & vertici. Quò vero

ro & caphura tibi ſit vſui, ſic eam para: ℞ caphuræ dr. j. liqua, aut contunde, & cum vino rectificato ad lactis redige conſiſtentiam; deinde agitatum oui albumen admiſce, ac ſimul omnia diligentius agita & deſpuma. Id lac panno linóue exceptum impone capiti. Plura iam poſſem in medium adferre: ſed hæc obiter enumerata nunc ſufficiant: quibus modo confidenter vtaris; nec frigida, ſed tepida ſemper admoueas. Quando autem hic calor ebullitiones, deſipientiam, aut furorem parit; abſtinendum eſt à refrigeratione. Vti vero licet mediocriter calidis, quæ non calori, ſed ſiccitati opponi ſolent (cholera enim aduſta exſiccat) ne nimis exſiccetur cerebrum. Cape gallinam nigram, diuide mediam, impone calentem capiti, & ad tres horas relinque. Aut ſume pulmonem calidum è vitulo, vel agno, & ita calidum impone. Eximendus autem celeriter, & prius, quàm refrigeretur, applicandus. Hæc ſua calida & ſubtili humiditate cerebrum humectant & recreant. Cæterum caput probe radendum, & à crinibus liberandum eſt. Plura hîc recitanda erant remedia; præſertim ſedum etiam maius aceto roſaceo coctum; quod in calido hoc affectu magnam lenitionem præſtat: ſed copia confundit.

CAPVT

De frigido, ſomnolēto et narcotico capitis affectu:

Hic anodinus affectus fere ex craſſo, tenaci vapore, aut phlegmate ex inferioribus corporis partibus in caput aſcendente, cerebrum opplente, & continuos ſomnos atq; ronchos efficiente, ducit originem. In quo alia curationis via progrediendum. Primum enim nequaquā ægris permittendum, vt dormiant. Succus rutę cum aceto permiſtus frequenter naribus admouendus: aut acetum florum herbæ tunicæ, amaraci, aut rutaceum, vel florum etiam ſambuci: quæ in principio mire conducunt. Sinapiſmi item conferunt, & quæcunq; reſoluunt ac diſsipant. Sed noſtra nunc in medium adferre iuuat experimenta; quæ explorata habeo. Parare ad hunc modum ſoleo acetum: ℞ angelicæ, imperatoriæ, zedoariæ, tormētillæ, dictamni, ana M j. roſarum rubrarum M ij. amaraci, lauendulæ, ana dr. iij. aceti ſextarios quinque. bulliunt vna, aut altera ebullitione: reponuntur loco calido. Huic aceto ſubinde pannos immergo lineos, aut ſtuppas cannabinas, & impono. Miram in hoc veterno vim habet hoc acetum. Licet & brachia atq; crura eo ipſo fouere atq; deorſum fricare. Alterum, quod expertus ſum, hoc eſt: ℞ thuris, baccarum lauri, ana

ana vnc.ſ. theriacæ vnc.j. paululum ſulphuris, & cochleare j. aquæ vini, bulliunt in ſextariis ij. ſ. aceti, colantur, & imponuntur calida. Cuminum etiam, aniſum & fœniculum aceto decocta bene faciunt: præſertim capite vaporibus ac ventis ita diſtento, vt hinc etiam facies inſtar tympani ſit inflata. Egregium eſt etiam ſequens cataplaſma: ℞ thuris, baccarum lauri, farinæ, piperis nigri, ana vnc.ſ. agitentur cũ albuminibus ouorum, & imponantur. Vapores & flatus mire excutit, & cerebrum fouet. Non prætereundum eſt lac cannabinum, quod vel ſolum ſæpe multum profuit. Iuxta vſum duorum illorũ epithematum poſſunt etiam vſurpari gargariſmi et apophlegmatiſmi conuenientes, & quicquid per os educit; præſertim vero errhina & ſternutamenta; quicquid deniq; in capite reſoluit ac diſcutit. Quodſi æger in hoc narcotico ſomno & debilitate perſeueret; exhibe cerebrum arietis butyro frixũ, cum ſequenti condimento: ℞ cinnamomi, nucis moſchatę, zingiberis, caryophyllorum, macis, ana dr.ij. Offer die Solis, hora Martis. Quodſi præcedenti proximo die Saturni in ipſo actu venereo obtruncatus fuiſſet aries maiorem etiã ad hunc affectum auferendum vim obtineret. Quoniam autẽ vulgus potentialibus & actualibus cauteriis vti neſcit: ſi quis diutius æquo

perduret in hoc mentis exceſſu; à peritis chirurgis illa ſunt adminiſtranda, & nequaquam ommittenda. Tantum de capitis his affectibus ex vtraque cauſa, quando non comitantur eos cõuulſiones, apoplexiæ, paralyſes, quæ ad mortem deducunt.

De Vermibus: Caput X.

PRÆTER hos duos capitis affectus ac furores aliud etiã eſt periculoſum ſymptoma, quod nemo ſatis admiretur; vermes non in pueris modo; ſed etiã in adultis. Ac ſi vllus epidemicus morbus ex aëris obortus corruptione, hic certe vel in primis grauis, vehemens et mirabilis eſt. Quàm incredibilem putrediñe, ſordes & fœtorem corporibus ineſſe putemus, vbi colluuies iſta, non modo confeſtim ſcatet; ſed etiam intus cohiberi nequit? per os enim et nares ſtatim erumpunt vermes; conuulſiones, ſyncopas & cordis pulpitationes efficiũt. Hippocrates Epid. 2. hyemen ideo τὸ φθινόπωρον θηριώδης vocat, quòd illo ſeculo magnã eiuſmodi vermium in corporibus humanis copiã, propter inæqualem cœli ſtatum, procrearet: et tempeſtates horum vermium procreatrices eſſe 6. Epid. ſect. 1. & alibi ſæpe meminit. Maximam etenim corruptorum humorum feritatẽ

eſſe oportet, à quibus talia prodeunt. Vnde nō immerito docti præſentem hāc luem θηριώδη appellant; præſertim, cùm & ipſe Hippocrates eiuſmodi febres πυρετοὺς θηριώδεις nominet. Talibus enim qui laborabāt, eiuſmodi vermes iam conualeſcentibus prodibant: quod & in hac Vngarica febri vſu venit. Quanquam alij velint, ideo Hippocratem ferales appellare eas, quod cum feris (vrſis, leonibus, lupis, &c.) magnam obtineant ſimilitudinem. Vt enim tales feræ ſunt & rapaces: ita etiam hæ vehementes ac diræ febres. Quia autem teretes, ac longos vermes ab ægris exiiſſe teſtatur: ob tales eum ſic appellaſſe illas exiſtimo. Nec abs re nos cadauerum ſpeluncæ, in qua omne genus reptilium prouenit, aſſimilauimus. Tu porro ſtatim atque æſtus nonnihil remiſit, & corpus refrigerium ſentit, ſumere aliquid remedij contra vermes non differ. Potes etiam morbo nōdum correptis præſeruationis loco talia medicamenta crebro exhibere. Tametſi enim nullus dū ſe proripit vermis (Sæpe enim poſt diuturnum ventris dolorē, in declinatione demū ſeſe exhibent) tamen ex his indiciis, tum pueris, tum adultis ineſſe deprehenduntur. Titillationes et morſus percipiunt in naribus, quibus frequenter digitos immittunt: oculi profundiores ſunt: non capiunt ſomnū: multum

vigilant. Punctiones in lateribus circa regionem ventriculi ſentiunt; morſus vero et raſiones in inteſtinis: excrementa ſunt mucoſa; à quibus crebro vrgentur: anima denique fœtet. His ſignis animaduerſis, abſque mora medicinas illas exhibe. Tametſi enim vermes forte non adeſſent: tamen omnem putredinem illa auferunt, & à fœtore, putore vlterioriq́ue corruptione conſeruant. Poſſem varia hoc loco contra vermes, ab herbis, radicibus, ſeminibus petita, recenſere; adeoq́ue ſalia etiam chymica: ſed quia vulgaria duntaxat adferenda ſunt, quæ comparari facile vbiuis poſſunt: talia ſecreta in reſeruatam noſtram medicinam ſeruabo; atque pauca hîc attingam ſimplicia, & vnum tantum atq; alterum compoſitum; quæ certa ſunt, et ad lumbricos cum à pueris, tũ ab adultis excludendos ſufficiunt. Tenuioris igitur fortunæ homines his vtantur ſimplicibus: angelica, imperatoria, ſilere montano, baccis ſabinæ. Pueris quotidie in lacte, iure aliquo, aut ouo recente ſorbili dr.j. aut dr.ſ. pulueris angelicæ, imperatoriæ, aut ſileris montani (quod vulgus cuminum equinum vocat) exhibe: vel tres, 4. aut. 5. contuſas ſabinæ baccas. Hæc & necant & expellunt huiuſmodi vermes. Velut etiam ſcordium & allium id ipſum certo præſtant. Deinde ſunt alia quatuor, quæ nihil in quo-

quoquam putrescere sinunt; & hanc vermium illuuiem mox excludunt. Aloë (inquam) rhabarbarum, myrrha, corallina. Cuiusq; horum exhibe dr.j. aut dr. ſ. per se, vt de superioribus dictum: præsenti operantur auxilio. Corpus etiam condiunt, ne venenatus aër, aut putridi et maligni humores ei noceant, Si autem ditioribus pro familia sua, vel etiam pauperibus, cõpositum vnum atq; alterũ parare placeret: hæc duo suaderem, quæ exspectationẽ non fallunt. I. ℞ rhabarbari partem j. euphorbij partes ij. cornu cerui vsti, dictamni albi, ana partes iiij. [Credo hîc autorem voluisse inteligere partem vnam integram rhabarbari, partem dimidiam euphorbii, reliquorum, ana partem quartam: quod quidem non indicabat scriptura. atq; idem error etiam in mox sequendi videtur commissus.] redige in puluerẽ subtilem. Hic puluis non modo necat & expellit vermes; sed etiam duram & cõstrictam aluum emollit: & contra liquidam sistit & obstruit. Hoc tibi singulare arcanum ducito. II. ℞ myrrhæ rubræ partem j. corallinæ partes ij. aloes, sileris montani, ana partes iiij. redige in puluerem. Ex hoc puluere potes conficere tabellas, aut opiatam: vtrum vis. Maxima dosis horum duorum est dr.j. adultis; dr.ſ. pueris: si quidem velis vt purgent. Alioqui minus exhibeas ad

præſeruationem ſine purgatione expetitã. Tenellis nobilium pueris licet aliquot grana Mithridatij cum vino muſcatellino, aut tria, quatuorúe grana ſalis vitrioli propinare; quæ facile illis ingeri poterũt. Aut decoquatur androſæmum (perforatam vocant) & decoctum ieiunis offeratur. Hęc breuiter de ratione grauiſſimo huic ſymptomati occurrendi, atque idipſum anteuertendi dicta ſunto. Cæterum cũ eo vſq; exſpectatur, donec per nares, & alia loca vermes prodeant; magnum ſubeſt periculum, nempe extrema iam præ foribus exiſtente putredine, quã corruptio vitæ ſequatur neceſſe eſt; vel etiam terribiles conuulſiones, aut ſpaſmi vitæ finem adferentes. Magna ſæpe copia hi vermes à cadaueribus demum ſe proripiunt. Vnde ego hanc experientiam venatus ſum, ſæpe in iis eſſe vermes, in quibus minime putatur. Quibuſdã etiam ex auribus, non quidem longi, ſed craſciuſculi, exierunt: quod etiã peſte laborantibus accidiſſe memini. Ex quo facile eſt colligere, in grauiſsimis hiſce capitis affectib⁹ in cerebro ex prauo & venenato quaſi cœno, in ventriculis collecto, tales generari poſſe. Cùm & anatomici cõfirment, ſe tales illic reperiſſe: & vulgus principio huius luis hãc ipſam febrim cerebri vermem nõ paucis in locis appellarit.

De

De ſudore concomitante & critico: Caput XI.

ETSI horum epidemicorũ affectuum longe alia ſit ratio, quàm ſimplicium febriũ: quantum tamen fieri poteſt attendendæ diligẽter hîc ſunt criſes: licet omnia criſima, ſeu decretoria ſigna ſint obſcura, praua & maligna. Quanquã enim (vti dictum) bona quandoque illa videantur: ſæpe tamen & ægrum & medicũ fallunt (Etenim nulla morbi exſiſtente cõcoctione ſtati dies decretorij, ſecundũ Hippoc: doctrinam, animaduerti non poſſunt) natura hîc plerumq; ſe non purgat; non tendit ad cõſueta loca & emiſſaria, per quæ praui humores exturbentur: ſed omnia vergunt ad laborantis perniciem. Ægri in horas magis ac magis debilitantur: labores ac ſummi dolores inualeſcunt; quod & Galenus lib. 3. de criſibus ſufficienter probat. Hæc cauſa me mouet, vt de duplici ſudore hîc verba faciẽda ducam. Horum alter non eſt decretorius, ſed concomitans, vt loquũtur, affectus, qui vna cum principe morbo capit initiũ, nec facile finitur. Conferri poteſt cum tempeſtate calida, humida, pluuioſa. Vt enim ea cõtinue depluit, humectat, irrigat: ita in hac febri multis mox calidus, vapidus & humidus ſuperuenit ſudor, qui admodum eſt peri-

periculoſus; nec diſsimilis auſtro venenato : q quidem, vt humidas tempeſtates ciet ; ita etiã calidas, humidas & ſudoriferas febres producit: ſicut Hippocr. lib. 3. aphor. 6. iam olim recte monuit, vbi, Quando æſtas fit veri ſimilis, inquit, ſudores in febribus multos exſpectare oportet. quaſi dicat, Quales ſunt tempeſtates, tales etiam fiunt febres: ſi illæ humidæ calidæ; etiam febres humidæ calidæ. Attamen hæc regula dextre interpretanda eſt. Equidem Vngarica lues, quod ad calidum attinet ſudorem, illius naturam refert: in eo tamen differt, quòd frigidus aliquando eſt ſudor, nõ calidus; licet humidus ſit ſemper; vt etiã Anglicus ſudor anno 1528. fuit. Nec abs re docti ſudorẽ hunc Typhode nominant, propter magnam humiditatem; quando non ſecus atque caro, quæ in cacabo aſſatur, aut ampla palus, magnũ de ſe vaporẽ emittit: vt non abs re tyrannica et crudelis habeatur, ceu gigas ille Tpyhoëus, qui fulmine tactus ſub Ætna monte ſepultus eſt, et ſpirantibus ventis continenter flãmas eructat. Maxime vero hanc inde habet proprietatẽ hic ſudor, quia iã à multis annis plerumq; humidæ & nebuloſæ fuere tempeſtates, multi terræmotus & procellæ: quin etiam inundationes plurimis in locis: quę tã frequentes antea nunquam fuiſſe leguntur. Quemadmodum ergo

tempe-

tempeſtates pluuiis ac ventis ſemper aërē turbant: ſic & ægritudines iſtæ noſtra corpora: quādo Deus pœna nos affecturus procellas, terræ motus & imbres concitat, quibus in diſcrimen vitam noſtram adducit. Et quemadmodum hic ſudor varius & mirus eſt: ita etiā mirum capitis affectum procreat, quem Hippocrates Typhomaniam appellat. Ebullitionem enim efficit, quæ cum calore & frigore cōiuncta eſt. qui ſane affectus multum graſſatur. In quo ægri magna ex parte delirant, apertis oculis dormiunt, mira & varia effutiunt, & non admodum de dolore conqueruntur. Statim igitur atque circa initia, poſt horrorem, talem ſudorem percipis; calidus ne ſit, an frigidus, fœtidus, an minus, obſerues (neq; enim ſine cauſa prouenit) Nam ſi frigidus eſt et fœtens, magna ægri cura eſt habenda. aut enim eſt moriturus, aut certe morbo diu detinebitur; teſte Hippoc. Aphor. 4. aph. 37. Tantum namque frigus, & tam venenata putredo naturalem calorem exſtinguit. Semper igitur frigidus ſudor ſit ſuſpectus; præſertim ſi cum ſtridore dentium irruat, et cor ſimul anguſtia prematur. Qui porro hoc modo ſudant, primo omnium in pedū & manuum extremis digitis dolorē percipiūt; quod & in Anglico ſudore factum. Cum rigor ingruit, ſudoriferum ſumi debet, ſicut alias non-

nun-

nunquam. Æger in lectum ponendus, non qui plumis suffartus, sed qui tapetibus, aut linteis stratus sit. non enim plumæ huic sudori conueniunt; cùm corpus magis accendant. Tam diu permittendum ægris, vt sudent, quàm sinunt vires. Vt enim in Anglico sudore ad mortem vsque multi sudarunt; sic etiam hîc sudare possunt. Natura quidem ad sui purgationem promouẽda est: sed vt in aliis omnibus rebus; ita etiam hîc seruandus est modus. Sufficiunt horæ tres, aut, summum, quinque. Nec possum consuetudinem ad 24. horas sudandi, in Anglico sudore obseruatam, probare. Postquam igitur iam aliquot horas sudãdo transmisit æger, detergẽdus subinde mundis linteis est sudor, & vires cordialibus aliisq́ue confortantibus roborandæ sunt: quantùmque fieri potest, studẽdũ, vt sudor (eo, qui postea sequetur, modo) cohibeatur, et corpus refrigeretur. Non est etiam concedendus ægro somnus: ne per illum ad cor sese recipiat venenũ, & suffocet. Ad nares crebro admoueatur acetum, cum aqua lauendulæ permixtum: aut asspergatur æger aceto rosaceo; aut epitema ex hoc fiat, & imponatur. Offerenda etiam quæ sitim sedant & refrigerant: ceu sunt saccharum rosatum, violatum, & manus Christi. Interulæ & lodices sæpe renouandæ. Exactis 24. horis permittatur som-

ſomnus, & alia conſequenter adminiſtrentur. Quodſi calidus humidus ſudor tertio, quinto, aut ſeptimo die ſuperuenit, melior eſſe ſperandus eſt; nempe criticus. fieri enim poteſt, vt ab hoc ad declinationem tendat morbus, teſte Hipocrate 4. Aph. 36. Huius generis proueniens ſudor, nullo modo cohibendus, aut impediendus eſt: ſed omnino promouendus; qualitercunque cadat. Abſtergendus autem ab ægro mollibus linteis: diligenterq̀ue cauendum, ne qua frigus ad illum pertingat, quamdiu huic labori incumbit. Proſpiciendum interea viribus odoriferis, & efficacibus aquis, aliisq̀ue ſuauiter ſpirantibus rebus. quin & aquis vitæ ſpiritus vitales reficiendi & fulciendi ſunt: præſertim vbi iam ſudor nonnihil remiſit. Breui namque, aut remiſsio morbi ſequitur, aut mors. De his pluribus agi poſſet: ſed cõmitto doctis; quibus probe notum eſt, Quòd ſudores ſaluberrimi cenſeantur in omnibus acutis morbis, ſi in diebus decretoriis oriantur, febrimq̀ue finiant; & quæ ſequuntur. Indoctis ſufficit, ſi ſciant non eſſe in critico hoc ſudore nudandũ corpus; ac neque aquam, neque vinum, neque vllum aliud potus genus interea bibendum, aut alia ratione illum impediendũ; quod alioqui fieri vulgo conſueuit; & ſic interitui cauſa præbetur.

Pau-

Pauci enim has molestias deuorare sustinẽt; ac proin labantibus viribus præcipites ruunt. Bibendum est (inquiunt) etiamsi decies vita perdenda foret. Tu verò, si vitã amas, caue, ne ante finitum sudorem bibas, et prius, quàm refrigeratus sis. Quãdo itaq; criticis his sudoribus vltro fractis & imminutis ægrum iusculis efficacibus et aliis placet refrigerare; cura, vt ne quid nimis: cibi potusq́; modus esto. At vero, si nimium sese producerent sudores & vires deiicerent; omnino coërcendi forent; non secus ac priores illi: ne nimium exsiccaretur corpus. Qui à calida humiditate profluxerunt, minus quidem periculosi: sed nimij tamen haud vacant noxa. Quod superest, corpus cydoniorũ, aut myrtino oleo inungendo sudores inhibebis, & poros cutis occludes, vt indicatum in libro de peste.

De conuulsionibus: Caput XII.

ENVMERATI iam affectus, phrenitis, lethargus, fœtidus sudor, putor & illuuies vermium, diras, summe periculosas & miseras conuulsiones, spasmos, disiectiones membrorum, pulsationes, planctus; ad hæc deplorãdos cordis affectus; syncopen, lipothymias, & similes

miles ſecum adferunt. Nec mirum eſſet, ſi quis tantam miſeriam & calamitatẽ humanæ imbecillitatis adſpiciẽs, nullo vnquam deinceps tempore lætitia affici poſſet. Equidẽ libere fateor, me in horridiſsima ſylua immanium ferarum graſſationibus expoſitum eſſe malle, quàm talium eſſe ſpectatorẽ. Extrema hęc mala (cõuulſiones dico) dira immanitate ægrum adeo diſtendunt, conuellunt, excruciant, vt brachia et crura hinc inde magno impetu diſiiciat, obuia quæque impetat & pulſet; immo tanquam crudelis carnifex neruos eius ita cõtrahunt & incuruant, ita extendunt & affligunt; vt hac triſti exercitatione ſpuma per os efferueat; membra magna vi iam retrorſum, iã antrorſum, iam aliorſum flectãtur et intendãtur. Conuulſiones autem aliæ vniuerſales ſunt, quæ totum corpus conuellunt; aliæ particulares, quæ vnum tantum, vel etiam alterum corripiũt membrum; velut oculum, naſum, mentum, maxillam, collum (quod contorquent) aliquando ſolum brachium, aut ſolum crus. Sed vtræcunque ſint, nihil important boni, teſte Hippocr. Aph. 7. 18. cõuulſio in vigilia, vel deſipientia malum. Item Aph. 2. 26. conuulſioni febrem ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionẽ. Hæ igitur vbi inuaſerint, ante omnia paratæ eſſe debẽt ligneę palæ, quas mox

in os ægri iniiciamus, prius, quàm id occludatur: vel prius etiam quàm lingua mordicus ab illo abripiatur, aut alia is ratione lædatur: vel denique vt apertum os contineatur, ne ſtatim ſuffocetur ille. Tum vero firmiter ille ipſe continendus comprimendusq́ue: brachia & crura faſciis liganda, ne impetuoſe ab eo hinc inde diſiiciantur; néue ſemet ipſe grauiter vulneret, aut periculoſe contrahat, & corpus ſuũ deformet. In promtu etiam adeſſe calidi & ſubtiles panni debent, quibus brachia, crura, ſpina dorſi lente deorſum fricentur. Mox inſuper ſuffitus excitandus, quò vitales ſpiritus moueantur & excitentur. ad quã rem ſuccinum album mire confert. Sunt qui fœtida, vt galbanum, pennas, crines & ſimilia accenſa, præferãt. Sed quę ratio eos moueat, me præterit: ſuo, per me licet, fruantur ſenſu. Superius etiam ſignificaui, nihil mihi videri præſtãtius ad reſtituendos hoc modo collapſos, quàm ſuccũ rutę aceto permixtum naribus admotum et illitũ; qui, cùm facile poſsit, ad vſum paretur. Vulgus radicem carlinæ ſolet accẽdere: radicem item liguſtici, angelicæ, mei & ſimiles. Et quandoquidem ego vires de his excitati fumi ſum expertus; poteſt earum vſus retineri. Ego iis, qui meæ ſe curæ ſubmiſerũt, à paroxyſmo brachia & crura aceto ac ſale fortiter fricari iuſsi: quod

vtile

vtile ac bonū deprehendi; nimirum non tam vehementibus deinceps recurrentibus paroxyſmis aliis. Quanquā vero omnes cōuulſiones periculoſæ ac timēdæ ſunt: tamen, vt Hippocrates in Coacis prædictionibus meminit, periculoſiſsimæ ſunt turbulentæ & per ſomnū cum audacia ſuſcitationes, &c. Quamuis vero ſint vehementes; non eſt tamē omnino deſperandū. Multi enim hoc affectu, vel grauiſsime conflictati, reſtituti ſunt. Cùm & Hippocrates dicat, Cōuulſio ſpaſmúſue, ſi cum, vel, in febre fiat, primo, vel ſecūdo, vel tertio die febrem ſedat. Attamen plus mali ſemper exſpectandum quàm boni. Nihilominus, quod cuiq; contra cōuulſiones ad manū eſt, id vſurpandū. Equidem nullū certius ἀντίδοτον noui, & quod facilius haberi poſsit, quā lac papaueris erratici (ſtatim à paroxyſmo infuſum) aut aquā ex eo ſtillatitiā. Diuites varios penes ſe pulueres habent ex cornu monocerotis, auro et ſimilibus: quos conuenit beneuole pauperibus cōmunicare. Variæ etiam ſunt eis aquæ; vt hirundinis, picæ combuſtæ, florum tiliæ, lilij conualliū, & conſimiles plures; quibus plurimi adhuc reſtituti ſunt. Cū ergo hac miſera diſiectione membra defatigata tumidaq; reddita ſunt; nerui & muſculi crebra diſtenſione obriguerunt: ante oīa cōſtitutio corporis obſeruetur, calidáne ſit,

an frigida. Si calida et ignea; vnctiones ex oleis & adipibus refrigerantibus vſurpentur: olea, roſarum, violarum; adipes porcina, anſerina, anatina. Quodſi frigida eſt; vtare calidis tum oleis, tum adipibus: vt, oleo ex caſtoreo, irino, chamæmelino, iuniperino, & efficacibus balſamis; adipe vrſino, vulpino. Eſt autẽ ſemper alter oculus ad vires, alter ad auxilia cõiiciendus; quò nempe vires etiam conſeruentur; recreentur, inquam, & corroborentur. Vtinam vero ad miſerabile hoc & deplorandum ſymptoma prȩſtantiora conſulere poſſem. Deus, oportet, hîc miſericordiam ſuam euidenter declaret. humana claudicant auxilia. quãtacunque etiam infirma ſunt, vbi moriendum omnino eſſe diuina voluntate conſtitutum eſt.

De lapſu virium & reparatione: caput XIII.

SEQVITVR iam, vt de lapſu virium et infirmitate (quæ periculoſiſsima ferme ſunt in his febribus accidentia) animalis, inquam, vitalis & naturalis, agatur. Virtutes enim & potentiæ hîc ingenti calore, putredine & aliis totæ proſternũtur, et magnam patiuntur vim; dũ ſpiritus accenduntur, diſsipantur, & membra ſuo deſtituuntur alimento. Quin ij ipſi ſpiritus tam venenata ſubeunte aëris prauitate, tã perni-

perniciosa putredine, et humoribus præter naturam, alterantur, et in sua qualitate ac virtute non modo multis modis impediuntur, sed etiam, exhauriuntur & pereunt. Vbi ergo sic vires debilitantur ac dilabuntur, siue ex resolutione spirituum, siue ab inutilibus, putridis ac fœtidis humoribus; & iam naturæ nutritio deficit, eidemq; quiddam vel accidit aduersi, vel etiam subtractum est: vbi, inquam, hoc euenit; confestim ac celeriter laborandum est, vt substantia deperdita & naturę sublata restituatur; illaq́ue instauretur et prouehatur. Ad quam rē cibi & alimēta requiruntur facilis digestionis, boni saporis & succi. Sint autē hac munde parata & palato grata gallinarum saginatarum, caponum, aut aliarum tenerarum carniū iuscula; vel contusæ carnes, succi expressi, aut arte stalactica extracti. Tales teneræ carnes sunt attagenū, perdicum, pullorum columbinorū, hædorum, vitulorum & agnorum. Cæterum prouidæ ac sedulæ matres familias variis modis has parare, ac iuscula et stillatitias aquas ex iis coquendo destillandoq́ue producere nouerunt. Intelligo ego de hisce iurulentis aphorismū Hippocr. 2. apho: 11. Potu refici, quàm cibo, facilius. Ita enim interpretādus mihi videtur, quòd nō intelligat potum tantum. Quo sensu (de potu) multi propinant in hoc lapsu

 vi-

vinũ: & agricolæ hoc morbo debilitati ad vrbem petitum vinum muſcatellinũ, aut aliud dulce mittunt, quò ſe reficiant & inſtaurẽt vires: ſed oleum addũt camino, ſeq; magis etiam inflammãt. Quæ refectio licet ipſis cauſa mortis exſiſtat; tamen prohiberi nequit. Puto autẽ Hippocratem nomine potus cocta hæc iucunda iuſcula; vel expreſſos ſuccos carnium probe nutrientium, quæ ſorberi velit, intellexiſſe. Quemadmodũ tum ipſe, tum Galenus Aphor. 2. comment. 18. latius explicant: Quæcunq; celerrima indigent adiectione, his humidũ alimentũ ad vires recuperandũ eſt optimum: vbi celeriore egent, per odores reficiuntur. Nos etiã ſępe iam diximus ad manum ſemper eſſe odoriferas aquas & alias res habendas; vt ſpiritus fragranti earum odore recuperentur et conſeruentur. Hæc ergo prima eſt refectio; quam domi quisq; in promtu habere debet. Ad quam et hoc addendũ, conuenienti tempore potum ſeu ſimplicis aquæ, ſeu ſtillatitiarũ, qui alteret, nequaquam denegandũ. Secundus reficiendi modus eſt, vt obſerues quæ qualitas vires alteret. Si enim nimius calor eſt in cauſa; contraria huic adhibeatur, vt refrigeratio fiat: ſi frigus; calida erunt ex vſu: ſi humiditas; exſiccandũ: ſi ſiccitas; humectandũ: & ſic alię qualitates contrariis retundendæ. Quoniam vero in hac lue
fere

fere magnus eſt calor, quo omnia exuruntur; tres tibi reparandarũ virium monſtrabo vias, quibus incedens, non aberres. quanq; ſæpe magnũ adſit frigus; qua de cauſa miſcellanea etiã hęc febris appellatur. Quando ergo vides ęgrũ vitali potentia laborare, hoc eſt, cor eſſe debile et extorreri; exhibe quę illud cõfortent, moderate frigida: atq; vti quidẽ licet, omnis generis efficacibus aquis cordialibus, tragematis, gem mis et aromatibus. Pauperes aqua roſarũ, oxalidis, meliſſophylli, boraginis & ſimilibus cõtenti ſunto: vel iis etiã medicinis, quas precario habituri ſint à diuitibus. Sequentia vires apprime cõfirmant. ℞ medullæ citrij, diligenter exemtę et emollitę, carnis cydoniorũ, ana partes æquales: cũ ſucco cydoniorũ ad iuſtam cõſiſtentiã decoquantur, & f. electuariũ Diacydonion citrinum. Aut citria cum paſtinaca rubea in acetoſitate ſua condias; quæ ſic mille modis ſuperãt ea, quę ſaccharo tantũ condita fuerint. Certe ad hãc febrim eſt omniũ optatiſsima hęc mixtura. Quàm iucundũ refrigerãs fiat ex ſucco cydoniorũ, ac citriorũ, æqualibus partibus acceptis; quàm itẽ ex acore limoniorũ cũ perſicorum pulpa cõmmixta et decocta, ij nouerũt, qui aliquãdo pararũt. Pyra (canina, Teutſchbirn vocata) expreſſa, & cũ ſucco berberũ decocta, cordi omniũ ſunt gratiſsima. Succus ceraſorũ

acidorum, & mororũ vna decocti, adiecto saccharo iucundum præbent acorem. Napi, quos vulgus conditurę rapas appellitat, cum berberibus conditi & rubore tincti, subacido sapore plurimis profuere. Ad eundem modum & cucumeres conditi aceto: melopepones item, nerantia & eorũ cortices, pyra muscatellina, pruna syluestria, & alia etiam acida condita; quorum multa exstant apud nobiles fœminas in vsum comparata. Omnia hæc inter alia vsurpanda quoq; veniunt: cùm sępe preciosioribus ex margaritis & gemmis longe præualeant. Si cõtraria qualitas (frigus) cor deijciat, vtare cordialibus moderati caloris; vt aromatibus et similibus. Si debilitas in potẽtia fuerit animali, magna nempe ex parte in capite & instrumẽtis motus; ex vsu erunt odorifera medicamenta, vnguenta, olea, suffitus, aquæ vitæ, balsama, & quæcunque cerebrum, neruos & alia instrumenta motus instaurant & confirmant; insuperq; victus ratio conueniens. Si naturalis potentia prostrata iacet, vt ægri de ventriculi dolore querantur, non appetant cibos, non amplius nutriantur; cũ hepar est accensum calore, aut nimium refrigeratum, & sic alia nutritionis membra se habent: vti conuenit iucundis & naturæ gratis alimentis: habita interim ratione qualitatis, quæ semper attendi debet simul.

mul. Quartũ, quod ſcio & expertus ſum, fere has facultates atterere, copioſus & diuturnus eſt ſudor (vti ſupra monui) qui multis ad finẽ huius morbi tã moleſtus eſſe ſolet, vt ſępe plurimum de eo cõquerantur: pręſertim à ſumto cibo potúue: quem fere hectica excipit. Is cum ingruit, impediendus eſt. Cutis refrigerãda & pori adſtringendi occludendiq; ſunt oleo cydoniorũ, omphacino, &c. Sumendi ſucci acidi conditi & electuaria cõſimilia, quæ ventriculũ et hepar corroborẽt. Cutis totius corporis aceto roſaceo & albuminibus ouorũ probe agitatis & illi commiſtis crebro perungẽda. Cibi ac potus offerendi, qui ſudorem non prouocent. Virium autem hæ refectiones fieri debent, non initio ſtatim morbi, ſed in progreſſu. differendum enim donec primi ac vehemẽtiſsimi impetus remiſerint; quorũ tempore ea, quę ſuperius enumerata ſunt; conueniunt. At vero vbi declinationẽ ille iam attigit, et ſe remittit: tum demũ (ſi viriũ lapſus animaduertatur) hęc refectio locũ habet & adminiſtrari debet. Cuiq; autẽ facultati ex ſententia regulæ pro ipſa datæ occurrendum eſt, & ſic medicamenta atq; alimenta diſtribuẽda ſunt, ne ordine turbato exhibeãtur. Hac igitur ratione regularũ ope, vel vni ſoli facultati, vel pluribus ſimul conſulere potes; ꝑ ratione et indiciis debilitatis et lapſus.

De repẽtinis animi deliquiis: Caput XIV.

QVOD de reparatione virium in hac admiranda febri dictũ eſt, eſſe pro diuerſitate qualitatum inſtituendá; idem etiam circa animi deliquia ſentimus obſeruandũ. Fieri non poteſt, quin tam diris ſymptomatibus, ac vehementibus paroxyſmis inuadentibus animo deficiat æger. Cùm ergo ex frigore prodiiſſe ſyncopen cernis; ſummum adhibe ſtudium, vt ęgrum quacunque poſsis ratione calefacias; cibo, potu, frictione calidis pannis adminiſtrata, gratis ſuffitibus, & ſi qua ſunt ſimilia. Quádo enim extrema tantopere refrigerantur, neceſſe eſt cor frigido ſpiritu vitali, qui ad ipſum accurrit, comprimi, ac tandem ſuffocari. Vtile eſt igitur illa calidis impoſitis pannis, aut lateribus, frictione, ligatura calefacere; prohibere etiam ſomno, cibo & potu ægrum, donec deliquium præterierit. Cum primis autem ad huiuſmodi ex frigore ſyncopas conferũt aquæ vitæ ex aromaticis elicitæ. Si calor ſyncopes cauſa fuerit; locus, in quo decumbit æger, frigida conſpergendus eſt, & apertis feneſtris ventus immittẽdus, aut arte ciendus, ſi nullus ſpiret: regio ventriculi, & in primis orificij eius pannis fricanda; ipſe vero ęger refrigerãte cibo

ac

ac potu reficiendus. Multum hîc (vt et ante dictum) valet contraria qualitas. Cùm autem ex ariditate fit ſyncope, ſpiritu nempe exſiccato; æger prius, quàm langueſcat, cibandus eſt, & iuſculis caponis, aut aqua eiuſdẽ ſtillatitia cõfirmandus. Eidem etiam quiete iacendum; ne corporis motu ſpiritus diſsipet. Poteſt etiã cremore hordei aut auenæ, vel panata, ſimiliúe iure vel pulticula nutriri. Quodſi leuioribus deliquiis corripiatur æger, in quibus non tantũ periculi, exhiberi queunt iſthęc roborantia; cydonia, pyra, ceraſa acida, ribes, &c. condita: mala item punica & aurantia; cum iuſculis tenuibus et liquidioribus pulticulis. Immo, ſi nõ admodũ obſtare videatur febris, hauſtus vini permittendus. Hæc omnia ſpiritus vitales recreant. Sæpe in his febribus graues ſyncopæ ꝓueniunt à vehemẽtibus alui profluuiis, nimio ſudore, & aliis modũ excedentibus euacuationibus; vt hæmorrhoidũ, mẽſtruorũ, vomitionis & ſimilibus. In his frigida imbuẽdus æger, & naſus ei vellicandus, regio cardias fricanda, vomitus ciendus ac brachia et crura deligãda. Licet etiam vinum lymphatũ propinare; niſi maxima inflammatio pulmonũ, hepatis, aut alîus viſceris prohibeat. In aliis quidẽ febribus & morbis accidunt etiam deliquia: ſed in hac Vngarica cauſo de iſta (adeoq; ſyncope) cõtingunt

gunt in primis ex ingenti ardore & inflāmatione cordis, aliorumq́; principum membrorum: à fera quoq; malignitate venenati ac putridi fœtoris pesſimi modi. Hisce qui laborāt, iis brachia & crura tum fricanda, tum fortiter ſtringenda ſunt; ſomnus abigēdus, ne ſanguis & calor ſe ad cor recipientes febrim & inflammationem augeant: neque cibus neque potus ingerendus; ne augmēto inflammationis cauſa præbeatur. Talia etiam quando metuuntur deliquia, prius, quàm ægrum occupent, alterantia ſunt exhibēda; veluti ſyrupus acetoſitatis citrij, de ſucco acetoſæ, ſuccus prunorū, malorum, ceraſorum acidorum, berberum et granatorū; iulepus item roſatus & violatus. Pauperes ſeſe malis fruſtillatim ſciſsis ex aqua fōtana gelida, aqua oxalidis, ceraſis acidis antea ſiccatis, ſed iam denuo frigida maceratis, berberibus et malorum pyrorumq́ue ſuccis recreent. Quidam etiam pauperes rapis conditis acidis, & muria braſsicæ capitatæ ſeſe ſuſtentarunt, quæ duo, vt laudare nolo; ita etiam vituperare non poſſum. Vidi certe ſine vllo ab illis vſurpata incommodo.

De palpitatione cordis: Caput XV.

SYN-

SYNCOPAS istas grauis cordis insequitur commotio palpitatioque: miserabile profecto symptoma, & magnus vitæ ad præcipitium impulsus. Omnino autem hæc est alia palpitatio, multo periculosior & ex aliis iisq; longe deterioribus causis profecta, quàm illa vsitata; ex eiusmodi nempe, quæ summam virium induxerint imbecillitatẽ. Impetum esse mortis iudico, quæ preciosam vitã impugnat. Vnde hæc nihil aliud, quàm vitæ mortisque certamen esse videtur: in quo natura defendere se, quantum potest, conatur: sed potẽtia hostis fere præualet (neque enim aliunde tantus cordis tremor, tantaque agitatio prouenire putanda est) ita, vt ipsa natura, seu vita, raro victoriã reportet. Attamẽ haud nulli ex hoc etiam discrimine eluctati, & ad se reuersi, vita potiti sunt. Quoniam autem lipothymia, syncope, & hîc affectus eandem pene curandi rationem sortiti sunt, quæ in reficiẽdo confortandoque sita est: hîc communia quædam remedia pro vtraque qualitate, calida & frigida, subiiciam. Debent autem, qui ægris adsistunt, et eorum curam gerunt, semper eos diligenter obseruare; faciem, habitum, colorem frequenter intueri. Subito enim, Hippocrate teste, mutari consueuerunt, vbi dicit, Qualitatibus sæpe mutatis, & colore in colorem, &c. Idem etiam pro sua diligentia in

in libris Prognost: mala signa, quæ sanorũ nequaquã sunt similia, accurate recenset: nares acutas, oculos cõcauos, tempora collapsa, frigidas contractasq́; aures, frontem duram, intentam & aridam, faciem nigram, pallidam, liuidam, plumbeam, & eius generis plura, quæ hîc nihil attinet enumerare. Hîc autem in primis Hippocratis hæc regula semper animo obuersari debet: In febribus non intermittentibus, si exteriora frigẽt, interiora vruntur, & sitim habent, lethale. Quandoquidem et hæc febris cõtinua est, & calor eius ac putredo nunq̃; intermittunt; sed perpetuo durãt, ac breui cor absumũt. Per exteriora intelligit ille brachia et crura: per interiora ea quę in ipso sunt corpore, pectus, cor, hepar, pulmones, membranam costas succingentem, renes, &c. Perinde ac si dicat, si vsquã in corpore inflãmatio sit. Hæc enim febris interius excitat erysipelata; vnde pectus & reliquũ corpus vehementer calent & vruntur. Item hæc attendẽda regula: Si labrũ, aut nasus, aut oculus peruertitur, &c. Cũ nempe occæcãtur, surdescũt, & omnino debilitantur, iam in propinquo mors est. Item hæc: Si neq; videat, neq; audiat amplius, &c. Hoc est, si omnes vires perierint, sensus, motus, ratio: cùm neutiq̃; , aut ægre spiritũ trahũt; cùm in delirio et ecstasi cõstituti sunt. Equidẽ lethaliũ signorũ magna est varietas: nec opus est hîc omniũ meminisse.

Ad

Ad refectionẽ ergo progrediar, vbi denuo hoc in memoriam reuocaro; ægrum attente obseruandum; ne quid prætermittamus, & vt is statim atq; hæc ingruunt symptomata cõfortantibus aquis et similibus recreetur; et quidẽ properanter. mox enim (his appetentibus de hominis actũ est vita. Quanq; nonnulli sæpe diu sine sensu, motu & ratione in syncopis durarint; nec respiratione, nec pulsu deprehẽso. Qui agitatione, & infusis per os aquis vitæ, restituti sunt, & in hunc vsq; diem viuũt: præsertim vero mulieres aliquot, quibus syncope ex consensu matricis extiterat. In mouẽdo autem & excitando modus est seruandus: vnũ tantũ acclamare conuenit; non plures, quomodo fieri more non admodũ laudãdo videmus. Posthęc sequentibus, vti licet instaurãtibus medicinis. Remediorum aliquot formulas subiicio, quas nõ ex dispensatorio medicorũ desumsi; ne illi querantur me profanare medicinas: sed ab honestis & nobilibus matronis [**Matronæ autem acceptas referre debebant medicis.**] accepi, & vsu probaui. Pharmacopœis poma sua ex ambra, pulueres & aquas cordiales, aliasq; compositiones nunc relinquam; atque vsitata tantum euporista in medium adferam, vt etiã pauperibus consulã: qui licet hæc non omnia cõparare per se possint; occasionẽ tamen hinc

arri-



arripient, ea ipſa apud diuites fœminas quæ-
rendi, & ab eis pro liberali ipſarũ benignitate
obtinendi. I. ℞ margaritarum, coralli rubri,
cornu monocerotis, auri Vngarici, ana dr. j.
Hæc omnia comminuãtur, et cum iulepo roſa-
ceo ſubtiliſsime terantur. Hinc quantũ cuſpi-
de cultri teneri poteſt, cũ aliqua cordiali aqua
propinato. II. ℞ ſalis q.ſ. videbitur, immitte a-
ceto vini, vt liqueſcat. huic liquori pannos la-
neos mundos & albos immerge, carpiſque
manuum impone. III. ℞ caphuram, aquã roſa-
rum, et croci momentum; quibus cõſperge ar-
terias, vel olfacere ea ſinito. Hæc duo pro pau-
peribus ſunt. IIII. ℞ baccarum iuniperi, cary-
ophyllorum, ana partes æquales; contunde pi-
ſtillo, & admiſto aceto roſaceo, linteo excipe,
ac tum naribus admoue, tum carpis impone.
V. ℞ nucis moſch. caryophyllorum, cinnamo-
mi contuſorum, croci integri, ana q.ſ. affuſa a-
qua roſacea ſubige in pulticulam, quam arte-
riis impone. Aqua odorata. ℞ flores ſambuci,
quos impoſitos catino, conſperge vino leuiter,
admiſce nucẽ moſchatam & cinnamomum;
contuſa ſtent octo dies loco calido probe tecta:
deinde deſtillentur in balneo Mariæ: aqua eli-
cita tantiſper inſoletur, dum flores ſpicæ nardi
& lauendulæ proueniant. tum acceptos hoſce
flores aqua iſthac conſperge, admixtis caryo-
phyl-

phyllorum, cinnamomi & nucis moſch. contuſorum, ana æqualibus partibus: ad aliquot dies digere; poſtea deſtillent. Olfacite hîc doctores & pharmacopœi: quomodo placet hæc aqua? ruri paratur ab agricolarum cõiugibus. Syncope correptos aqua iſthac aſperge: linteis exceptá iiſdem impone; et exhibe quandocunque libet. Alia ſuauiſsimi odoris aqua. ℞ nucis moſchatæ vnc. ſ. cinnamomi, caryophyllorũ, ana vnc. j. roſarum pallidarum recentiũ M. x. vini cretici q. ſ. ſtent ad digerendũ dies 14. deinde adiectis recentibus roſis deſtillentur per balneum Mariæ. Huic aquę, qui diuitiis abundant moſchi Alexandrini dr. ij. ſerico incluſas immittere poſſunt; vt efficacior fiat. hãc et pauperibus impertiantur, par eſt. Aqua caponis. ℞ roſarũ manipulos duos, florum boraginis, bugloſsi, violarum, ana M. j. ſaluię, maioranæ, anthus, betonicæ, ana M. ſ. cinnamomi dr. vj. macis, caryophyllorũ, ana dr. ij. nucis moſch. vnc. ſ. contunde; in caponem exenteratum coniice; quẽ probe clauſum elixa, donec ab oſsibus caro facilime liberetur. tum omnia ſimul contuſa, vt moris eſt, deſtilla. Alia iucunda gratiſsimique odoris aqua. ℞ caryophyllorum, corticum citrij, macis, ana dr. j. ſ. xylaloës, ſandali citrini, laudani, benzui, ſtyracis vtriuſque, nucis moſch. corallorum, baſilici, eboris vſti, ana

dr.j.croci scr.j.moschi gr.v.caphurę gr.iij.aceti rosacei, aquæ rosarũ & lauendulæ, vini maluatici, ana cyathos iiij. stent simul in vitro diligenter obstructo. Sequuntur aquæ vitæ, quarum vsus in his affectibus ad sumendũ, inspergendum & imponendũ esse potest. I. ℞ caponem: depluma; discinde & cõtunde minutim; adiice auri Vngarici particulam; affunde vini cretici, vel muscatellini, aquę mentę crispę, ana cyathos iiij. immissa in stanneã lagenam probe clausam pone in aquam feruentem, donec tertia pars absumatur: deinde exemta in vitream coniice cucurbitam, & adiice quæ sequuntur. ℞ caryophyllorum, galangæ, zinziberis, macis, ana vnc. j. ſ. nuces moschatas N. iiij. piperis nigri, piperis longi, cubebarum, cardamomi, xyloaloës, ana dr.j.ſ. florum maioranę, anthus, ana M. j. coriandri dr. j. mentæ crispæ M.iij. seminum, anisi, fęniculi, sileris montani, radicis pimpinellæ, dictamni, ana vnc.j. radicis valerianæ vnc. ſ. His contusis & scissis affunde aquæ vini rectificatæ sextarios iij. & cum superioribus, vt artis est, destilla. II. ℞ saluię nobilis lib. j. rosmarini vnc.vij. florum lauẽdulæ lib. ſ. nucis mosch. caryophyllorũ, zinziberis, granorum paradisi, cinamomi, galangæ, chamæmeli, ana vnc.j.ſ. conscinde herbas, reliqua cõtunde, atque omnia simul in stanneã lagenam

con-

cōiice; affunde vini optimi ſextarios viij. dein obſtructā lagenam, repone in calcem viuam: ſtent 14. dies ſub dio: intra quos dies ſi non pluat, affunde calci aquam, & lagenam, donec hæc exſtincta ſit, in ea relinque: aquā poſtmodum arte ſtalactica elice. III. ℞ roſmarini lib. j. lauendulæ, maioranæ, florum herbæ tunicæ, ana vnc. j. ſ. rutæ, hyſſopi, mentæ criſpæ, pulegij, meliſſophylli, ana vnc. j. abrotoni vnc. ſ. Haſce herbas omnes minutim conſcinde: ℞ poſtea caryophyllorum, cinamomi, ana vnc. j. ſ. nucis moſch. macis, zedoariæ, zinziberis, baccarum iuniperi, ana vnc. ſ. citrium malum vnum, fœniculi vnc. j. comminuta miſce, & affunde vini cretici, aut alius præſtantis triplum: indantur omnia in vas ſtanneum probe clauſum, & 4. hebdomadas putreſcere ſinātur; dein deſtillent. IIII. ℞ florum lilij conuallium ſextarios vj. affunde vini cretici ſextarios iij. aquæ vini ſextarium j. ſ. ſtent menſem; poſtea deſtillent. aquam elicitam infunde vitro: adiice caryophyllorū maiuſculorum, macis, ana dr. j. ſ. inſolētur 21. dies: poſtea temperate deſtillentur. Prima quæ profluit aqua eſt efficaciſsima. hanc ſeorſum ſerua. Nōn modo ad ſyncopen, ſed etiam ad apoplexiam confert. Si enim cochleare dimidium ſumatur, æger reſtituitur. Quotidie autem duæ vel tres guttæ ſumtæ ab

apoplexia ſeruant immunem: quod & præcedentes omnes ſolent. V. ℞ aquę vini bis deſtillatæ, vini maluatici, ana ſextarios iij. cinnamomi, caryophyllorũ, nucis moſchatę, benedictæ caryophyllatæ, cubebarũ, meliſſophylli, violarię, mētæ, ana vnc.ſ. cardui benedicti M.j. repone ad digeſtionem, dum color cum virtute extractus ſit; & ad vſum adhibe. VI. ℞ aniſi lib.j. zacchari, mellis, ana lib.ſ. cinnamomi, caryophyllorum, ana vnc.j. theriacæ optimæ, caphuræ, ana vnc.ſ. affunde aquæ vini præſtantis ſextarios xj. ſtent biduum: poſtea in arena deſtilla. cùm hauſtus exierit, deſine: reliquum in cucurbita exime, & per filtrũ cola: ac habebis duas aquas cōtra ſyncopen & ſimiles affectus. Tales poterā hîc deſcribere plures aquas vitæ: ſed quia hæ ſufficiunt, non eſt opus: præſertim cùm vbique exſtent plurimæ. Rogatos hîc velim iam diuites, vt pauperum habeant rationē, & quas ipſi paratas habent, illis ad neceſsitatem communicent: qui niſi aliunde gratuito accipiāt, habere nequeunt. Etenim cùm ſæpe vix buccellā panis domi ſuæ reſiduam habeant; quomodo talia mercentur? Ne igitur, qui abundant, ſuum eis auxiliũ denegent. Cibent, potent, reficiant eos: Deus abunde gratiam referet.

De

De aliis huius febris symptomatibus. ac primum de parotidibus, genarum tuberculis, faciei & gingiuarum tumoribus: caput XVI.

AD alterum genus ſymptomatum accedo, quæ criſima ſunt, & quæ in curatione huius luis videre mihi contigit. Iterum autem à capite initium ſumens, per reliquas partes deſcendam. Quibuſdam ergo ſtatim in primo paroxyſmo tubercula dura, moleſtiſsima poſt aures emergunt, & in genis: facies ita intumeſcit, vt oculi vix appareãt: tument et gingiuæ; dẽtes vero diro vexantur cruciatu. Horũ omnium vna & eâdem opera curationem docebo. Tumores porro tantum vſq; ad collum protenduntur, & fere ex veneno ſtupefactiuo, vel vitioſo aëre ac maligno habitu proueniũt. Hi tumores ac tubercula, vbicunque ſint, non admodum probantur: præſertim in hac peſtilente febri; teſte Hippocrate: Secundum aures tubercula de grauibus veniunt; maximè in febribus ardentibus: ſi non decernant matureſcantque; ſanguisq; de naribus ſi non fluat, perimunt. Præcipue autem hoc accidit, cùm ægri

aures vehemēter punguntur, et acuti ſentiuntur dolores: quemadmodū idem Hippocr. ait; Acutus dolor in aure, cum febre non intermittente vehementiq́; graue periculum minatur. Nam et mentē et hominem rapit. Attamē hæc tubercula ſæpe vltro, & quidē breui euaneſcūt; neq; admodū nocent. Non ſunt autem temere ad ſuppurationem perducenda. Cùm enim emollita aperiuntur, longo tempore manant et difficilime ſanantur. Quando ergo apparēt hi tumores, ante omnia candela illa ad ſuffitū parata, quam ſupra deſcripſimus, ſuffumigandi ſunt: deinde talia imponenda, quæ diſcutiant eos & auferant: ne ruborem contrahant & ad ſuppurationē contendant. Sunt qui oleo chamęmelino et therica commixtis has parotidas inungāt. Ego folia liguſtici cum furfuribus in aceto decoxi, & velut cataplaſma impoſui; ac euanuerunt. aut oleum ex ligno iuniperi cum modico ſcorpionum illeui, diffugeruntq́;. Vbi iam ruborem contraxerunt, par eſt, vt ad ſuppurationem perducantur. Ad quam rem ſemē lini contuſum in lacte caprino coxi; cui admiſcui leporini adipis modicum, ac ſimul impoſui, & ad mollitiem tubercula deduxi. Poſteaquā autē humor effluxit; impoſito emplaſtro diachylon ſimplici, curaui. Quando vero caro ſupercreſcebat, alumine vſto aceto reſtincto & in-

inſperſo eã domui ac prohibui. Emplaſtro tãdem ad puncturas comparato perſanaui. Ad tuberculum etiam genarũ corticem ſambuci medianum aceto elixaui; quo impoſito diſcuſſa ſunt. Pro dolore dentium radicem pyrethri & piper longũ in aceto coxi; atq; id acetum calidum in ore, tanq; apophlegmatiſmum, continere iuſsi, quò dolor mitigaretur. Poſtmodũ aceto roſaceo, aut aqua roſarũ ſtillatitia (quando alia nulla aderat inflammatio) os abluere & refrigerare præcepi. Sæpe etiam ægri de graui aurium dolore conqueruntur; tametſi nullum appareat tuberculum. Interdũ etiam auditum amittunt. Organa enim ſenſuum obſtruuntur & rigeſcunt. Nõ raro etiam pus aut aquea materia ex auribus effluit, vbi dolor ille ſedatus eſt. Hîc accurate perpendendum eſt, an cerebrum liquefactum hæc emittat, an vero ſint ab interno aliquo abſceſſu. Quod quidem his ſententiis Hippocratis diiudicari poteſt: Aurium ſordes dulces mortales; amaræ verò non. Item aurium dolores in profundo meatus auditorij, vt plurimum tertio die perimunt. Periculoſum hoc eſt accidens, nec facile poteſt auerti. Quodſi autem ex abſcẽſſu pus effluat, aut cruor; confortandum eſt caput, exſiccandũq;: auri vero hoc ſuperponatur cataplaſma: ℞ baccarũ lauri, chamæmeli, anethi,

maioranæ, careos, cumini, ſeminis rutæ, nucleorum ex perſicis, ana modicum. ex contuſis & cum oleo chamæmelino ac rutaceo coctis f. cataplaſma; quod impoſitum ſordes mire extrahit. Intra aures nihil immittendum. Ipſe fluxus vltro cõſiſtit, poſtquam ſuperflua ſatis expurgata ſunt. Tubercula magnã habent varietatẽ; nec omnia ſunt periculoſa. Optima vero ſunt, vt Hippocrates ait, Quę foras extuberant, obarida, acuta, plaña, pariter tumentia, matureſcentia, non circumquaq; dura, ſimul coacta, non diuiſa. Hęc primũ emollienda, poſtea euacuanda & purgãda, poſtremo cùm in imo iam ſaneſcunt, ad cicatricem perducenda. Quando auditum amittũt aliqui, non quidem bonum eſt: ſed tamen cùm narium inſequitur fluxus, illum recuperant & ſanitati reſtiuuntur, teſte Hippocrate: In febribus, quibus aures obſurduerunt, ſi ſanguis ex naribus fluit, aut aluus turbatur, ſoluit morbũ. Et alibi: Caput dolenti pus, vel aqua, vel ſanguis effluens per nares, aut os, aut aures, ſoluit ægritudinem.

De oculorum affectibus: Caput XVII.

OCVLORVM mihi tria ex hac lue occurrerunt vitia: duo morbo durante; vnũ in

in declinatione, conualeſcentibus iam ægris. Primũ erat epiphora, fluxio et illachrymatio oculorum; ex quibus tantopere manabat humor, vt per genas delaberetur. Quamuis autẽ Hippocrates in Epidem: neget hanc eſſe malũ ſignũ (Nam lachrymæ (inquit) in acutis morbis male habentibus vltro manantes, bonum; non vltro vero, malum) tamen magnum cerebri ſignificat laborem. Ac diligẽter harum lachrymarum obſeruanda eſt qualitas; calidæné ſint, an frigidæ; craſſę, an tenues; multæ, an paucæ. Quales enim ſunt, tali etiam cerebrum moleſtatur humore. Et quoniam illæ cerebri ſunt recrementa; nullo modo ſiſtendæ, ſed per palatum ſiue faucos gargariſmis deriuandę & euacuandæ ſunt; iuxta illud Hippocr: Oculorum fluxus in fauces reuellere oportet; ſi modo conferre videtur. Aut vero retrorſum ad ceruicem reuelli debent; ne ad pectus & cor delabantur. Secundum oculorũ vitium, quod in hoc morbo euenit, eſt ophthalmiæ genus, cum rubore, punctione, ardore vehementi & puſtulis perquam moleſtis coniunctus affectus. Ac tametſi in his febribus varia ſigna ab oculis peti queãt; periculoſæné ſint an minus: tamen ea prudẽs omitto, atq; nunc tantum vrgeo, qua ratione hæc accidentia ſint oppugnanda. Præſens autẽ vitium cum primis magno ſtudio auertendũ;

ne puſtulæ rumpātur, et viſus hinc obſcuretur, aut amittatur prorſus. Primū igitur omnis generis reuulſiones vſurpandę; præſertim cū per febrim licet. In ceruice cucurbitulæ affigendæ: ibidemq́; medicamentis ex ſuccino & aliis veſicatoriis (vt flāmula, batrachio, ſeu ranūculo, ſimilibusq́;) impoſitis excitandæ veſicæ; eiusq́; generis alia ad reuellendū adminiſtranda. Sequentia epithemata loco affecto imponantur, ægro interim tenebroſo loco decumbente. ℞ lac fœmineæ, puerum maſculū lactantis, aquæ roſarum, aut cichorij, ana q. ſ. probe miſce; & linteis excepta impone oculis: ℞ aquarū, roſarum albarum, fœniculi; ana cochlearia ij. vitrioli Romani, caphuræ, ana gr. v. quę trita probe cōmiſceas aquis illis: cola per pannū, et hinc oculis binas guttas inſtilla. Alia ꝓ oculis aqua. ℞ zacchari candi vnc. ſ. vitrioli albi dr. ij. thutiæ præparatæ dr. j. caphuræ ſcr. ſ. aquarum, fœniculi, euphroſynes, ana vnc. ij. inſtilla oculis. Quando vero vbiq; pro omnis generis affectibus oculorū aquæ exſtant; deſino adiicere plures. Tertium vitium (quod morbū ſolet inſequi) eſt interior affectus in optico neruo conſiſtens; quo ægri pene occœcantur. Ad huius vitij curam pro vulgo nihil hic adfero; quia pro varietate cauſarū etiam varia requiruntur medicamenta. Conſulo autem, vt in conſiliū adhibean-

hibeantur periti medici. Quodſi fortaſsis exterius oculo membranula accreſceret (velut vnguis Celſo dictus) ad eam auferendam hac vti poſſes aqua: ℞ aquæ fœniculi cochlearia ij. olei vitrioli rectificati guttas ij. miſce probe. Hac mixtura imbue pennę extremitatem, qua membranulam illine per aliquot dies, mane & veſperi; & iterum videbis. Interea temporis oculi velentur pannis ſericis, aut linteis nigris; nec ventis exponantur, donec viſio reſtituta ſit.

De narium hæmorrhagia: Caput XIIX.

SVPRA dixi hanc luem inter omnes humores maxime ſanguinem ciere, accendere & putrefacere: adeo, vt inde vita periclitetur. Vnde inter alia præcipue etiam nariũ profluuia cõcitantur: quæ primis certe diebus valde ſunt periculoſa. Multi etenim venenata ebullitione ad nares impetum faciente vitam cum ſanguine profuderunt. Inſecutæ ſunt etiã ſiderationes, vel ſphaceli cerebri: quod & ſua ætate accidiſſe Hippocr. in Epidem: ſæpe meminit. Cõcitatus iſte ſanguis etiam ſubito coagulatus pulmones ſuffocat: ac ſæpenumero dimidiam faciei partem & genam ſubiens, ita de-

deformat, vt nõ secus, ac si fustibus pulsata foret, liuescat. Iam sicut venenũ crocodilij omnia venarum oscula, adeoq; ipsum sanguinis quasi labrum exedit et penetrat, vt à nimia profusione moriendum sit: ita facit etiã cæleste crocodilianum venenum; nec quicquam ei facile resistit. Est enim astralis impresſio, hoc est, Dei voluntas; quæ vix potest impediri. Est & aliud sanguineum nariũ profluuium; quod successu demum morbi diebus criticis imparibus euenire consueuit. Id bonum est, & plerũque grauisſimorum cerebri & capitis affectuum indicat solutionem. Etenim Hippocrates; Sanguinis, inquit, eruptiones per nares abunde, si fiãt, plerunq; liberant. De quo & Galenus abunde lib: 1. curat: ad Glauconem. cap. 14. de febriũ accidentib. Omnia non est opus referre, ne liber nimium excrescat. Nihilominus adeo copiose nonnunq; sanguis effluit, vt, nisi sisteretur, ob nimiam eius euacuationẽ syncope moriendum foret ægro. Sequuntur ergo remedia, quæ sanguinem plus æquo fluentem viresq́ue deiicientem, sistant. Prius attamen monendus est lector, critica isthæc profluuia non esse mox sistenda: sed differendum, donec, quod vitiosum est, effluxerit. Sæpe fit; Vt naturæ impetus non facile cedat remedio: sæpe, inquam, sanguis se non permittit sisti; certa licet & exqui-

sita

ſita adhibeas remedia. Sed non eſt, quod tum metuas, aut ſolicitus ſis: perge modo: ſuo tempore ſubito ſiſtetur. Quodſi autē poſt aliquot horas redeat fluxus, aquis cōfortantibus diligenter viribus proſpice; beneq; operaberis; ac ille, cum tempus erit, facile cohibebitur. Eniſchæma, quę adfero, ſunt euporiſta. Queēadmodum porro crocodilion peculiari vi ſanguinē prolicit: ita contrariæ ſunt herbæ, quæ peculiari dote illum ipſum ſiſtāt: inter quas præcipua eſt ſanguiſorba, pimpinella Italica dicta: deinde biſtorta, ſanguinaria, geranium illud dilute rubente flore, & aliæ plures, quæ, vel naribus admouendæ, vel in potum coniiciendæ ſunt. Hæmatites item lapis, ſandalum rubrum, coralli rubri, mumia, creta Colonienſis (cum aceto forti alligata) bolus Armena, terra ſigillata, ſuccus portulacæ, & alia conſimilia ſimplicia idem præſtāt. Quomodo etiam muſcus, qui in pruno ſylueſtri, aut in cranio humani cadaueris prouenit, pili caprearum, leporum (ex cauda præſertim) ſi prius exuſti redigantur in puluerem. Sequuntur aliquot remediorum formulæ. ℞ ſanguinis, qui ex ægro profluxit, teſtam oui plenam: aſſa ad ignem, & naribus ægri admoue, vt odorem eius percipiat; aut friatum, & in puluerem comminutum infla naribus. Fuligo ahenorū, & crocus Mar-

tis

tis itidem ſiſtunt ſanguinem, ſi naribus indantur. ℞ fruſtulũ de cranio hominis: exure, donec in puluerẽ friando redigi poſsit. hunc puluerem naribus infla; aut eius quãtum numulo teneri poteſt, in liquore aliquo bibendum offer. Odorentur etiam ægri caphuram: fortiter ligetur annularis eorum digitus in eius lateris manu, vnde ſanguis emanat. Vinca peruinca, aut helenij radix ore, vel ſub lingua contenta ſanguinis fluxũ inhibet. Hauſtus aquæ ſtillatitiæ vrticæ minoris breui ſanguinẽ ſiſtit. Compoſitum: ℞ ſandali rubri, boli Armenæ, terræ ſigillatæ, ana dr. ij. corticum granatorũ, acaciæ hypociſthidos, nucis cupreſsi, ana dr. j. mumię, maſtiches, thuris et eius corticis, ana dr. j. ſ. ſanguinis humani cõbuſti dr. ij. pilorum leporis vſtorũ dr. j. ſ. redigantur in puluerem commiſceanturq;. Hoc potes eſſe contentus. Alioqui multis multa nota ſunt. Sæpe etiam propter ſanguinis feruorẽ, qui vini illum in dolio imitaretur, vena fuit aperienda: nõ quo ſanguis emitteretur; ſed vt (loquar ita cũ medicis) euentaretur. Vnde ille mox ſedatus fuit. Quidã maiuſculas cucurbitas infra regionẽ pectoris ventri affigunt, & alias reuulſiones, quæ tempore neceſsitatis neutiq; reſpuendæ ſunt, adhibent. Ego refrigeraui ægros aceto; ac manus et pedes eorum in acetum tepidiuſculũ immiſi. pannos

etiam

etiam aceto madentes inferiori colli parti & inguinibus circundari iussi; & optime cessit.

De ardore, lentore et velut inducta linguę orisq́; crusta; de paristhmiis item, & aliis oris atq; colli tumorib: Cap. XIX.

ARDOREM hunc et ex eo natas pustulas aliaq́; mala totius oris ambitu cõprehēsa (in tonsillis, columella, faucibus, palato, lingua, gutture & stomacho à pharynge vsque ad diaphragma) sub anginæ nomine generali cõprehendā. Hæc omnia partim ex cõmuni calore & æstu arsenicalis veneni, quod totū corpus occupauit, ortū ducunt, partim ex specifica veneni proprietate; quemadmodū supra de apio risus meminimus, quod has partes præ cæteris infestat. Quomodo vero huic ardori, tumoribus, pustulis, lētori, crustę et fissuris linguę partiumq́; adiacentiū occurrendū sit, id iá breuiter ostendā. Primum ergo hoc moneo, non esse prius quicquam circa hæc mala tentandum, quàm ingēs æstus mitigatus, superflua ex corpore vacuata, & alia vniuersalia administrata sint. Tum demum refrigerantibus medicinis, os, lingua & alia morbida curari possunt.

Etenim

Etenim, ſi nondum euacuato, refrigerato & roborato corpore recta ad ardorem hunc oris auferendum accingaris, nil niſi ipſam mortẽ procures. De qua re multa dici poſſent: ſed nunc non eſt locus. quiſque cogitet ipſe morbum eſſe ſuorum ſymptomatũ cauſam. Quare ante omnia in ipſius principis morbi curationem incumbendũ: quo curato, etiam ad iſthæc ſymptomata profliganda magna eſt accedendum circumſpectione. Exſtincto enim interno febris æſtu; etiam ardor hic & eryſipelas vltro cedet. Et ſane, ſi ardor & inflammatio oris, ac faucium eryſipelas eſt, aut herpes, ex acri, calido, ſalſo veneno aëris ortum ducens; peculiarem etiam curandi methodum ſequaris oportet. Ego quidẽ peractis vniuerſalibus hac vſus ſum. Primum aquã bezoarticam [**Huius deſcriptio paulo poſt ſequet, hoc ipſo capite.**] ex myrrha, pannis exceptam, collo circũdedi calidam (nam refrigerantia ſemper calida, aut tepida adhibenda ſunt.) Deinde ſequentẽ pro gargariſmo paraui aquam. ℞ aquæ prunellæ, acetoſæ, roſarum, ana lib. j. ſucci mororum, & baccarum ſambuci decoctorũ, ana cochleare j. bulliant, & tepida gargarizentur. Spongiam etiam bacillo alligatam huic aquæ immerſi: deinde altera manu linguam exſertam (interiecto linteo mundo) tenui; altera bacillo an-

nexam

nexam ſpongiā in os indidi, ac lentorem, purulentiam, & ſordes alias, quæ tonſillis, faucibus, columellæ, palato & aliis partibus adhærebant, abſterſi. Sane exoptatus ad hos affectus eſt huius ſpongiolæ vſus. Sæpe vomitum ciet, qui puris grumos ex faucibus, gula, tonſillis, adeoq́ue ipſo ventriculo ſecum educit; qui alioqui non prodirent. Equidem hoc vno artificio ac facili remedio, multos honeſtos homines in vita conſeruaui. Multum nempe vomitio in faucium tumoribus (ſiue angina, ſiue aliis) cōfert. Poſt hanc abſterſionem, ob linguæ lentorē & duritiem, ſequentē ore continere iuſsi mucorem, ad humectationem. Adenibus namq; inflammatis lingua exſiccatur & areſcit; quòd illæ non poſsint ei ſuppeditare ſaliuam. Ita fit, vt vtrinq; opus ſit irrigatione. ℞ ſem: cydoniorum & pſyllij, tragacanthi, ana dr.j. aut dr.ij. cum aqua roſarum extrahe lentorē, quem ſerico panno exceptum, impone linguæ. Cremor hordei, auenæ, aut phegopyri (frumenti Saracenici) pro pauperibus paretur. humectat enim, abſtergit, fiſſuras mitigat & ardorē reſtinguit. Quando lingua denſa obducta erat cruſta, recēti etiam butyro, aut melle deſpumato inungebā; deinde ſucco cepæ & aceto immiſſo detrahebam eam, certo experimento. Non poſſum hoc loco prçterire experimentum optimi

ſenis & ciuis Auguſtani Antonij Canzmeieri, quod is iam à multis annis plurimis in ardentibus hiſce morbis communicauit, & quo illi etiam ſanitati reſtituti ſunt. Dignum eſt enim quod omnibus innoteſcat; vt quod etiã certa ratione cõpoſitum ſit. ℞ aizoi q. vis: contunde, ac pro ſingulis dimidiatis libris adiice ſalis Ammoniaci dr. ij. repone loco humido ſubterraneo, donec ſal liquefactus ſit: poſtmodum aquam alembico extrahe, qua linguam & os aliquoties per diẽ colſue. Certius hoc eſt, quàm dici poſsit. Nam & herba illa extreme refrigerat & ſal abſtergit atque intro ſubiens feruorem ſecum educit. Quandoquidẽ autem morbus & remedium eodem gradu contrarietatis conſiſtere debent; facere non poſſum, quin illius nunquã ſatis laudati medici Theophraſti Paracelſi experimentum etiam in medium adducam; quod non ſolum ob harum partiũ ardorem, ſed etiam propter ęſtum internũ fuerit vſurpandum. Exſtinguit enim calorem & omnem internum ardorem, ſitimq; ſedat. ℞ ſalis petræ, ſeu nitri vulgaris depurati q. vis; coque in aqua ad remanentiam tertiæ partis; quã reſiduam partem infunde catino, et repone loco frigido, ac iterum coagulabitur in maſſam cryſtallum referentem. De hoc accipe pro puero gr. xv. pro adulto dr. ſ. liqua in aquæ fonta-

næ

næ cochlearibus ij. da bibẽdam hanc mixturã.
Cõfert etiam calculosis hoc remediũ; si gr. iiij.
cum vini haustu bibantur. Est enim verum sal
vrinæ. Coquitur nimirũ ex vrina ouium et ca-
prarũ: vnde à proprietate atq; innata sympa-
theia calculos et arenas secũ educit. Quoniã ve-
ro multa vbiq; cõtra hos affectus inuenta sunt
remedia; nõ adiicio plura. Quisq; videat inte-
rim ne curandi ordinẽ inuertat, et relicto mor-
bo succurrat linguę, minore periculo laboráti.
Sequitur iã de particulari huius febris angina.
Quando rubedo suboritur, siue in collo, siue in
latere, siue in pectore, quæ erysipelas, aut herpe-
tẽ referat; hãc tibi cura parari aquã: ℞ myrrhę,
thuris, ana vnc. j. aceti vnc. v. aquę solani vn. x.
caphuræ, croci, ana dr. j. bulliãt donec gummi
cõtabuerint. Huic aquę immersos pannos affe-
ctis locis impone tantisper, dũ rubor euanue-
rit. Est in frequenti vsu. Quodsi intra fauces sit
inflãmatio, possit etiam spõgia illa bacillo alli-
gata foueri. Præsentes porro affect⁹ omnes vno
erysipelatis nomine (in collo anginosi) appel-
labo: quod multũ sane differt à cõmuni angi-
na, quæ ex abundanti sanguine collecta est. Est
autẽ pͤsens hæc angina, ꝓ natura hausti veneni,
aut lethalis, aut alioqui periculosa. In ea primũ
intumescit collũ: inde se nonnunq̃; etiã tuber-
cula proferũt. Atq; adoriuntur ægrũ hæc mala

magno cũ rigore & horripilatione cutis: acriter pungunt, & intra 24. horas iugulant. interdum tribus quatuórue diebus: summum autem septem. Si enim hunc numerũ excedant, fere remittunt, & curantur. Laborantes glutire nequeunt; lingua tument; raucescũt, ammittunt loquelam, fauces arescunt, vt cibos licciores non transmittant. quin etiam nullo interdũ cibo, nec molliore, nec duriore potiri queunt ægri. In quibusdam (huius generis anginis) nullum horum signorum apparet: neq; tument, neq; rubent. Tales periculosissimæ sunt, & cicutę naturam referunt; vt breui suffocent. Ad curationem hîc memoria repetenda sunt ea, de quibus supra dictum est. Principio autẽ, vt in aliis similibus affectibus, suda, vome, purga, & alia vniuersalia præmitte. Postea vero aquam impone, gargarismis vtere, dentes fortiter comprime, & inserto digito, quantum potes, distende; si modo vitæ aliqua te cura tangit: deniq; fauces mucilagine, de qua in ardore linguæ dictum, humecta. Summa autẽ cautione tum reuulsiones, tum alia auxilia adhibeantur. Facile enim fluxio in caput surrepit (si distrahere coneris) & delirium efficit. Facile etiam ad latera decidit (vbi pleuritidem generat) & in pulmones. Quocunq; vero transferatur, nocumentum infert. Hippocratis etiã apho-

aphorismus non de hac angina intelligendus est; sed de aliis extra hanc febrim obortis, quo dicit; angina affectis à venis, quæ in brachiis sunt, sanguinẽ detrahes, & aluum inferne subduces: quò id, quod morbũ cõmittit, detrahatur. Omnino enim nec phebotome, nec purgatio huc quadrat. Hoc potius agendum, vt principes partes à veneno præseruentur, confirmentur; & vt recta venenũ excludatur: nec in dorsum, ventriculũ, hepar, lienem, pulmones deriuetur, aut per se irruat. Scarificatio in scapulis et cucurbitularũ affixio ex vsu esse potest: quemadmodum & venularum sub lingua apertio. sed opus est magna prudentia. Paraui etiam aquam theriacalem ex rosacea; qua imposita mitigatum est malum. Reliqua eadẽ sunt, quæ in cura ardoris linguæ.

De pectoris, laterum & pulmonum affectibus: de hęmoptoësi & aliis: Caput XX.

QVALEM inflamationem nuper diximus esse anginam; tales etiam visceribus, pulmoni, hepati, et membranæ costas succingenti obtingũt; naturæ nempe erysipelatis. quod quidẽ fit à singulari infectione venenata. Cùm pulmones inflammantur; peripneu-

monia hinc exiſtit, periculoſus in primis affe-
ctus; quo laborantes genis continenter rubent,
pulmonibus areſcunt, qui ſe ſurſum efferẽtes,
ſuffocant; nõ ſecus atq; lepus marinus, fungus
ſtrangulatorius, aut ſimile aliquod venenum
pnicticum. Sin venenum illud ad membranã
coſtas ſuccingentem confluat; vehementes la-
terum punctiones oboriuntur, quibus tuſsis
quidem commouetur, ſed nihil eiicitur. In his
affectibus vniuerſalia curationis inſtituta, cu-
iuſmodi ſunt purgationes, deriuationes, & al-
terationes per venæ ſectionem, locum non ha-
bent: cùm ex iis plus damni, quàm commo-
di referatur. Quò magis enim hi venenati hu-
mores moti & agitati fuerint, hoc etiam ma-
gis ſpiritus & ſanguis inficiuntur; adeò, vt ero-
ſiones viſcerum, ſanguinis exſpuitiones & pe-
ctoris abſceſſus procreent, atq; ſic inflamma-
tionem adaugeant, vt ab ea tanta ſiccitas pro-
ueniat, ne quicquam reiicere valeant ægri (nec
ſputum, nec ſanguinem) ac humore ſuperfluo
ſuffocentur. Proinde qui in his affectibus ve-
nam ſecare cogitat, eum oportet grauiſsimis
cauſis ad id induci. Si enim ſecus res habeat,
omnino ſpe fruſtrabitur. Oportet enim in his
duobus affectibus præſenti animo medicum
eſſe. Siue enim ſecet venam, ſiue non; pericu-
lum inde creari poteſt. Sunt ergo hic verba
Bene-

Benedicti Victorij F. probe consideranda, quæ in Empiricis leguntur, vbi in febri pestilentiali (inquit) si non apparuerint signa sanguinis, caue à phlebotomia, sicut à diabolo. Si vero apparuerint signa sanguinis cum rubore & ætate consentientibus, si non phlebotomabis, sanguis iustus erit super te & filios tuos, &c. Hoc autem pro se considerandum cuique relinquo. Pro his duobus affectibus coxi ego semen maluæ & lini cum lacte; atque omnia simul in vesiccam coniecta loco affecto imposui; sensiq; inde punctiones retusas. Coxi etiã lac, oleum & mel; atq; excepta linteis itidẽ locis affectis imposui. Pauperibus imposui muriam; cancrorum, item & luciorum oculos cõtusos (horum etiã mandibulas) exhibui. Sæpe etiam loco punctionibus infestato sequẽs imposui cataplasma; præsertim regioni pulmonũ & hepatis: ℞ florum papaueris erratici rubicundi, rosarum rubrarum, ana M.ij. cõtusis admisce oleorum, rosacei & violacei, ana vnc. ij. aut vnc.iij. rhabarbari, rhapontici, ana dr.j. Hęc imposui calida, et erysipelati isti efficaciter restiterunt: Non raro etiam aqua Bezoartica epithema præstitit. Indigeret profecto quisque horum affectuum proprio libro, si pro necessitate singula curationis consilia exponenda forent. Exhibui insuper etiam succum, iulepum,

& looch portulacæ, cum eiuſdem aqua: ſuccũ item è papauere erratico rubro flore; qui certe in tribus hiſce affectibus (inflammationibus, inquam pulmonum, hepatis et pleuræ magnã meretur laudem. Alia appropriata non eſt opus hîc cõmemorare. Sciendum præterea hoc loco, eclegmata & electuaria dulcia, tabulas & alia cõfecta, quæ alioquin in hæmoptoëſi, pleuritide & aliis pectoris affectibus ad ſputũ, pus, ſanguinem & alia pectoris cauitate contenta eiicienda, in vſu ſunt, in his venenatis pectoris malis non eſſe ex vſu: cùm non modo nihil reſoluant & expellant; ſed etiam calorem & putredinem huiuſce luis adaugeant, & intolerabilẽ ſitim excitent. Quapropter ſi inferti tibi ſunt pulmones inflammatiq; à dulcibus iſtis abſtine; ac pectoralibus aquis vtere, quæ nec dulces ſint, nec acidę: cuiuſmodi ſunt papaueris erratici rubro flore, acetoſæ, boraginis, bugloſſi, veronicæ, cardui benedicti, ſcabioſæ, tuſsilaginis, & aliæ innumeræ, ex ſalubribus herbis et radicibus extractæ. His admiſcere potes, aut per ſe vſurpare ſubacidos ſuccos inſpiſſatos (nõ nimis acidos) iulepos & ſyrupos: ceu ſunt de acetoſitate citrij, aut granatorũ, de oxalidis ſucco. Item diamoron, rob ribes, berberum, baccarum ſambuci ſuccus coctura inſpiſſatus. Hi enim ſimul expectorant (vt ita cum

aliis loquar) & calorem ſedant: præterquam quod principes partes (pulmones et hepar) humectant. Poſſunt etiam conſeruæ roſarum & violarũ, atq; oxymeli vſurpari. Nec eſt, vt adſtringens eorum qualitas nos turbet; quæ tanta non eſt, vt meatus adſtringere poſsit. Si vero cordialibus & bechicis vti placet; per ſe, ſine copioſo ſaccharo, ſumantur.

De ſiti: Caput XXI.

VBI magnum eſt incendium, ibi magna opus eſt reſtinctione. Quis autem neget in hac febri ingentẽ eſſe ſitim? Vbi omnes corporis partes accenſæ, vires attentatæ, ſpiritus corrupti & exſiccati ſunt? Etenim maligna qualitas contagioſi veneni in deprauato aëre hærentis ſeſe, vel in primis etiã ventriculo inſinuat, eius calfacit orificium, & omnino exſiccat: adeo, vt hac de cauſa lues iſthæc aduſtio cordis appelletur: quæ ſic ventriculum exurit, vt non modo infernalis hæc & Tantalica moleſtia, intolerabilis ſitis: ſed etiã grauiſsimi ſingultus & conuulſiones ventriculi conſequantur. Nec arbitror cruciatum vllum eſſe tam dirum, quàm ſiti torqueri. Par autem eſt, ne egomet mihi cõtrarius ſim hoc loco. Quod ſupra dixi frigida (ne calorem repellant) principio

non eſſe ſtatim adhibenda; pręſertim à ſudore, cum omnia incenſa ſunt membra: ſed omnia refrigerantia tepida eſſe adminiſtranda: ex eo non ſequitur, in hac tanta ſiti non eſſe potum (maxime frigidæ) febricitãtibus offerendum. Non enim æquum eſſet multa hominum millia ſic mori, vt nõ tantum à morbo ſupra modum affligerẽtur, ſed ſiti quoque diſcruciarentur ad extremum vſque ſpiritum. Quod ergo aqua frigida frigidæúe potiones coctę his ęgris & quanam ratione exhibendæ ſint, tanquam in primis neceſſariũ, breuiter iam demonſtrabo. Aiunt vulgo nil tã oppugnare ſitim, quàm bibere, nil tam calorem, quàm refrigerare, nil tam ſiccitatem, quàm humectare: & Galenici volũt omnem medicinam à contrario petendam. Quapropter ſi æſtu ſuo hæc febris vrit, ſitim & ariditatem inducit: cur refrigerandum, & humectandum negemus? cur etiam bibendum? præſertim frigidam, quæ contrariã qualitatem præ aliis in ſe continet? Sed dextre hæc intelligenda ſunt. Febrim quamcunque iuxta medicorum (Galeni, Arabum & aliorum) placita oportet ętiam magna ex parte curari exſtinctione caloris, nõ modo per medicinas refrigerantes; ſed etiam potu aquæ gelidæ; quãquam etiam mulſa & aqua hordei, hoc ipſum pręſtare queant, & (quod ſupra meminimus)

Hippocrates teſtatur magis aliquē potu, quàm cibo refici. Quo loco recte quidem iuſculenta, cremorem hordei ſimiliaque refrigerantia plerique ſignificari ſentiunt: ſed potum interim excludere nequaquam conuenit. Immo, quod maius eſt, aliquot illi locis iubent in frigidam totos immergere febricitantes: quod in hac febri neutiquam faciendum eſt; cùm etiam horribile videatur. Verum, quod refrigerandi facultate præditi cremores, aquæ ſtillatitiæ, refrigerantes potiones non debeant in hac febri frigide offerri; id ex veteribus illis planum fieri nullo modo poteſt. Quomodo namque domabis æſtum, niſi contrarium frigus opponas? Principio itaque ſucci refrigerantes & aquæ nonnihil (ad euitandam repulſionem) calefieri poſſunt, vti dictum. Sed poſteaquam iam ad aliquot dies feruor durauit & inualuit; certe veteres frigidiſsima tam actu, quàm potentia duplicatis pannis imponere præcipiunt. Quandoquidem autem hæc febris quouis alio cauſo feruentior eſt: cur frigidam laboranti non liceret exhibere? Vetuſtus ille medicus Eraſiſtratus acriter Apollonium & Dexippum, Hippocratis diſcipulos, reprehendit, quòd febricitantibus ipſorum curæ commiſsis duas tantum vncias frigidæ conceſsiſſent. Hippocrates de vict: rat: in acut.

lib.

lib.4. vult cuiq; ardenti febre laboranti, quantum cupiat aquæ, aut probe coctæ mulsæ permittendũ. Galenus lib. 1. ad Glauconem & 9. methodi gloriatur se omnes ardenti febre laborantes exhibitione frigidæ sanitati restituisse. Attamen addit, Tempestiue oblatæ; quod intelligendum vniuersalibus euacuationibus (sudore, deiectione, vomitu) præmissis, corpore nõ amplius referto, sed superfluis exhausto. Et quidẽ certe cùm nulla peculiari in loco est phlegmone; sed (vt in hac febri) omnia æquabiliter inflammata sunt membra, tum in primis commoda ea opportunitas. Nisi enim viscera reficiantur & sedetur sitis; mox insequitur hectica, & iam actũ est de ægro. Aliquibus ego frigidam exhibui, et verum esse deprehendi, quod Galenus 2. de Crisib. testatur, vbi dicit: Quando febris (tertiana exquisita) iam ad vigorem peruenit, & calor æqualiter quaqua versum extenditur, nihiloque plus thorax extremitatibus calet; iam bibendi tempus adest ægrotanti: statim post potum plurimus vapor calens per cutem exhalat, sudoris nuncius; bilis superuenit vomitus, venterque soluitur, & biliosum mingũt. Hoc profecto sic euenit: vomuerunt, sudarunt, per aluum excreuerunt, & copiosam sæpe reddiderunt vrinam. Cùm ergo hæc veterum sit sententia: quare non etiam

vestris

veſtris ægris tanta ſiti vexatis hauſtum præbetis frigidum? præſertim vero, ſi illi nondũ extreme debilitati ſint: hepar, ſplen & alia viſcera nondum defecerint; nec certo aliquo in loco patiantur inflammationem; ſed totum corpus æquabiliter vratur? Immo faciendũ omnino, vt bono ſubinde recreetur hauſtu. Vt enim candens ferrũ (aut lapis) citius exſtinguitur, quando in aquam ſubito demergitur totum: quàm ſi contra duntaxat aſſpergatur ea (cùm hac aſſperſione magis inualeſcat ignis:) ita etiã hîc pleno hauſtu citius calor reſtinguitur, quàm ſi ſæpe pitiſſãdo ſorbeatur aqua ſeu cruda, ſeu cocta. Attamen omnium rerum debet eſſe modus. Cæterum percupiam ego ſcire, vnde tantã prudentiam, qui talibns interdicunt, adepti eſſent. Non vtiq; à Galenicis retulerũt. Theophraſtici vel niualem aquam & ſalis petræ exhibent, quæ frigidiores ſunt multo. Exterius etiam longe frigidiora admouẽt; aquam plumbi, niuem ipſam, & eius generis alia. A neutris igitur cum habeant: oportet cacodæmonẽ eſſe, ſeſe (cùm nihil minus ſit) pro medico venditantem, qui hoc eis perſuadeat. Nemo ergo tanto ſcelere, tam miſere homines iugulandi ſeſe obſtringat. Bibenda offerantur, quæ ſequuntur. Aqua hordeacea cocta; quæ cõmode refrigerat, humectat, abſtergit. Quatuor
ſemina

ſemina frigida minora (lactucæ, intybi, ſeriolæ, portulacæ) cum aqua decocta commode refrigerant. Sunt qui lac amygdalinum conficiant, cui immiſceant frigida maiora illa quatuor ſemina (curbitæ, melonum, &c.) adiecto ſemine papaueris albi. Alij lac caprinum, aut vaccinum deſtillant, & extractam aquam bibunt (quam optimam ſane iudico) aut de coagulato lacte ſerum accipiunt aceto cõdientes: quod equidem non reprehendo: abſtergit enim, refrigerat & nutrit. Vulgus agricolarũ ius ex rapis, rhaphanis & paſtinaca rubra coquit: cui, ſi nonnihil aniſi, fœniculi, aut careos incoquas, minus inflabit. Ius cicerum & piſorum rubrorum valde commendatur: quomodo & aqua caponis. Aliqui in frigidam coniiciunt roſarum, violarum, acetoſæ, citrij, granatorum, cydoniorum ſuccos; qui obeſſe nequeunt. Alij panem toſtum eodem modo in aquã coniiciunt, et aliquãdiu ſtare ſinunt. Quidam potum ex aridis pomis, malis, pyris, baccis iuniperi & berberibus parant, qui hactenus vino muſcatellino præualet. Nõ pauci acorem braſsicæ capitatæ conditæ hauſerunt; & ſtatim melius habuerunt; non ob acidum tantum ſaporem; ſed etiam propter magnam alterationem. Ob quam cauſam quidã etiam in exſtinguẽdo puluere bombardico impreſſo (vel potius

tius

tius incuſſo) vſurparunt. Alij Vngarica pruna, paſſulas maiores & minores; mala & pyra diſciſſa in frigida macerant, & cōtra ſitim comedunt. Alij granatis, aurantiis, citriis, limoniis, ceraſis acidis conditis, ribes, vuis aſſeruatis, & ſimilibus, quę ſitim cōpeſcunt, calorem reſtingunt, & corpus reficiunt, vtuntur. Atq; omniū horū ſine flagitio vſus eſſe poteſt: neq; iis quicquam nos prohibere debet. Tantum de ſiti.

De variis alui profluuiis: Caput XXII.

VENTRICVLO, ceu dictum, ſingultus accidūt (iam ex repletione, iam ex inanitione) vehementes vomitiones, & variæ tū deiectiones, tum attractiones ex aliis locis; quæ omnia pro conditione irruentis veneni comparata ſunt. Sicut enim omnia fere herbarum, florum, radicum & mineralium venena multum laxant, & difficiles vomitiones cōcitant; vt in helleboro, colocynthide, antimonio & vitriolo eſt videre: ita hîc accidit ventriculo: quando venenū purgantis naturæ in eum fuerit impactū, neceſſario expurgat; ſiue ille contineat aliquid in ſe, ſiue minus. Niſi enim humores, aut ſtercora inueniantur; à cerebro hepate, liene, maſſa ſanguinis & aliis ſuccis rapit

pit ille, quæ deiiciãtur. Vnde varia ſuboriuntur alui profluuia; rubra, alba, nigra, flaua, mucoſa, ſanguinolenta. Prout enim ventriculus per cæcos meatus materiam attraxit; ita etiã eius, quod excernitur, eſt color. Sunt autem hæc profluuiorum genera (diarrhœa, lienteria, dyſenteria) nihil aliud, quàm alui à laxante veneno, in quod nempe ventriculus agit, cõcitatio. Quod venenum nõ ſecus atq; purgans medicamentum ſuam vim exſerit: idq; pro debilitate aut robore, quo præditum eſt: non ſecus atq; cum vinum, in quo colocynthis per noctẽ macerata ſit, vehementius purgat, quam ſi eſſentiæ colocynthidis granum j. exhibeatur. Si, quod expurgetur, deſit; ſanguinem, fel, ſuccos alios, carnem, & tandẽ inteſtina adoritur. Verum, quoniam de hac ventriculi attractione, et iniecto à purgatorio veneno deſiderio in noſtro de Dyſenteria libello copioſe tractauimus, ſuperuacaneum ſit plura de his nunc repetere. Breuiter ergo iam, quid in his profluuiis & vẽtriculi paſsionibus agendum videatur, cõmemorabo. Cùm igitur, vt Hippocrat: in lib: de flatibus docet, morbi alij à ſpiritu, alij à victu proueniant: Si quis in principio ſtatim huius morbi talibus corripiatur profluuiis: ea vel à venenato aëre per ſe proficiſcuntur, qui ventriculum ita laxet; vel ab alimento prodeunt;

à pomis (exempli gratia) quæ ab aëre ſunt infecta, proindeq; talia in nobis concitant profluuia. Sunt autem profluuia, quibus in principio corripimur periculoſa & fere lethalia: quæ vero poſtea ſuperueniunt ab ipſa natura concitata, cum minori periculo ſunt coniuncta, teſte Hippocr: In ventris purgationibus & vomitionibus ſua ſponte factis, ſi talia purgentur, qualia purgari oportet, cõfert & leuiter ferunt: ſin minus, contra. Diſerte etiam multis locis, quę vacuationes ſint lethales, indicat; quòd nigræ nempe, & quæ cum multa bile ſunt, ac ſuperne & inferne fiunt; quæ cum ſangine & nigrore mixtę; in quibus ſanguinis concreti grumi, aut inteſtinorum ramenta excernuntur; ad quas ſingultus conſequitur, aut ſtranguria. Hę ergo ſimilesq; periculoſę et lethales. In quibus vero talia non obſeruantur, minus habent periculi: attamen interdum ad morbi diuturnitatem faciunt. Illis igitur profluuiis, quantũ fieri poteſt, occurrendum tempeſtiue. Breui enim interimunt: niſi ſint decretoria, hoc eſt, non in principio ſe oſtendant; ſed aliquot poſt initium diebus: quæ vtiq; non confeſtim inhibenda ſunt; ſed (vt vel ex aphoriſmo percepimus) permittendum, vt criſin ſuam abſoluãt: præſertim ſi delirium, aut ſyncopen excipiant: vel etiam poſt corporis inflationem & tumo-

rem ſe exhibeant: ſi denique ex albo conſtent phlegmate. Cæterum ſiſtendi initium à leuioribus eſt faciendum; vt lacte amygdalino, aqua chalibeata, ſimilibusq́ue; de quibus in libello de Dyſenteria. Quoniam autem naturalis, ſeu nutrix, facultas potiſsimum læſa & deprauata eſt; huic in primis roborantibus eſt proſpiciẽdum, quò cõſeruetur. Amiſſa enim ventriculi cõcoctione, vanũ eſt quicquid medicãdo moliris; nil proficiũt medicinæ, quantumuis præſtantes. Ad hanc autẽ confortationẽ duo tantũ hoc loco in mediũ adferam remedia (alterum ſumendũ intro, alterũ exterius admouẽdum) quæ ab innata et tota ſubſtãtia ſimul et profluuium ſiſtunt, & ad confortationẽ directa ſunt. Internum illud hoc eſt: ℞ radicũ tormentillę, pimpinellæ, zedoariæ, ana vnc. ſ. cinnamomi dr. ij. xylaloës dr. j. macis dr. j. ſ. zacchari modicum: F. puluis; de quo pani toſto ſubinde aliquid inſperſum exhibe. Non eſt quod hîc de qualitatibus elementariis ſolicitus ſis: ne quære, frigidúmne ſit, an calidum. Iam vero ſtatim atq; ventriculus nauſea, aut ſingultu afficitur, aut male alioquin incipit habere; elixa quæ ſequuntur: ℞. rad. ariſtolochiæ rotũdæ N. v. abſinthij, mentæ, roſarum, ana M. j. calami aromatici, galangæ, zedoariæ, ana dr. ij. bulliant in aceto vini efficaci. Hoc aceto ſpongia exce-

pto

pto regio ventriculi crebro foueatur: aut panis tostus eo maceratus calide imponatur. efficacissime omnem nauseam & fastidium ventriculi tollit. Hæc de ventris fluxibus.

De hæmorrhoidibus & cruẽta mictione:

Caput XXIII.

PRÆTER narium et ventris sanguineum fluxũ aliæ sunt etiam sanguinolentæ fluxiones, quę sępe sine vllo ventris dolore per aluum, aut vrinę meatus sanguinem educunt; ex venis nimirũ hęmorrhoidibus, quę statis temporum interuallis exonerantur. Quando ergo hæmagogum in eas irrepsit venenum; nõ modo præter naturam reclusæ, vna cum vitioso etiam bonum sanguinem excludunt, & in periculum vitam adducunt: sed etiam variorum præter naturam tumorũ causæ sunt: quemadmodũ ipse Deus minatur, dum se Ægypti vlcera ficumq; nobis immissurum (ex iis nempe locis, in quibus ortum duxere) significat. Etenim si nimium sanguinis laudati per eas effluat, hydrops fere, aut nimia corporis exsiccatio sequitur. Quoniã vero plures sunt tales venæ; si fluxus earum ingruat, inhibẽdus est; sed ita,



vt vna ſemper aperta relinquatur. Si enim criticus eſſet fluxus, ex toto obſtrui minime conſultum foret. Inſania enim & alii graues ex tali obſtructione ſequerentur morbi. Contra ſalubre eſt, ſi poſt inſaniam & vehementem capitis dolorem hę venulę recludantur. Vt enim Hippocrates Aphor: 6.2.teſtatur, Hæmorrhoides, vel varices ſuperuenientes ſoluunt inſaniam. Cùm vero non paucæ ſint hæmorrhoidū ſiſtendarum viæ; nos hîc vnum tantum vſitatum proferimus remedium. ℞ aloës hepaticæ, thuris, ana partes ęquales; redige in tenuiſsimū puluerem: accipe deinde telam araneæ, quam oui albumine (probe agitato) irriga, & de puluere, quantum ſat videbitur, inſperge, ac impone loco affecto. Potes etiam vti ſanguinē ſiſtētibus illis & antidotis, de quibus ſupra: hoc tamen obſeruato, vt vna ſemper aperta relinquatur, donec vltro ſe claudat. Ad hæmorrhoides cæcas remedia. I. ℞ ceræ flauæ recentis, adipis anatini, ana, q.ſ. F. linimentum; quo inunge ſphincterem quam alte penetrare licet, & dolor lenietur. II. ℞ ſcarabeos quot ſufficere videbuntur; coque oleo lini, donec cōtabuerint: cola deinde per pannum. hoc oleo locum affectum illine: leniet efficaciter dolorem. Quodſi altius illæ deliteant, quàm vt ad eas pertingi poſsit; ℞ ſerpentariæ vnc. j. mellis deſpumati

vnc.

vnc. j. ſ. F. electuarium; de quo mane quotidie ſumatur vnc. ſ. Hoc illæ curantur remedio, ſiue deliteāt, ſiue ꝓmineant. Ad ficus. Primū fouēdę ſunt herbis mollientibus: deinde cæpa, aut alia re cōſimili fricandę, dum aperiantur et humeant. quo facto pulueres exſiccantes inſpergēdi ſunt, velut ex teſtis cochlearum, pilis caprearū, pannis laneis, ficubus immaturis, vſtis: ſtercore item anſerino, radice ari, aloë hepatica, & ſimilibus. Infert etiam hæc lues mictionem ſanguinolentā, quando eſt, vt ſupra meminimus, naturæ cantharidum particeps, & renes iā ante ſanguinem per interualla ſic excernere conſueuerunt, vt de hæmorrhoidib. iam audiuimus. Accedente enim veneno, illud augetur, & venę plus iuſto ſanguinis educunt; vnde periculum creatur vitæ, & exulceratio veſicæ ſequitur. Proinde breuiter cū Hippocr. Aph. 4. 21. dici poteſt, Deiectiones nigræ, qualis eſt ſanguis niger, venientes, ſiue cum febre, ſiue ſine febre, peſsimæ, &c. hoc eſt, quacunq; ſanguis efluat, ſiue per nares, ſiue per os, ſiue per aluum, ſiue per vrinam, ſiue per mammas mulierum, aut mēſtrua immodica, ſiue per ſputū, ſiue per vomitionem; non vtiq; multum boni præſagit. Ad cruentas porro mictiones coquātur herbæ ſanguinē cohibentes & vulnerariæ; quarum bibatur decoctum. Tales autem ſunt

bistorta similesque. Appositione quoq; cucurbitularum & aliis reuulsionibus suis locis adhibitis eædem sistantur. Sed quisq; ex eorum, qui faciendæ medicinæ rationem per singula capita describunt, libris plura desumat ipse.

De abortu & nimio mẽstruorum fluxu: Caput XXIV.

QVOD aër venenatus & aduersæ tempestates causæ quoq; sint abortuũ, Hippoc: lib: Epidem: 3. iam olim cõmeminit, vbi ostẽdit, si hyems austrina, pluuiosa & lenis sit, ver autem frigidum & siccum, contingere, vt multæ mulieres abortiant: ac tametsi aliquæ iusto tempore pariant; tamen debiles edere partus, qui vel breui moriantur, vel vitã morbis obnoxiam degant. Ac fieri plerumque solet, cum ita communiter grauidæ periclitantur, vt vel difficulter pariant, vel immaturos edant fœtus in lucem; vel epidemia subsequatur. Infantes nempe dũ teneri etiamnũ in vtero generantur aërem citius, quàm nos, percipiunt. qui aër, vt antea dictum, ἐκβόλιος est, & in vtero, sicut alia quædam φθόρια, necat infantes, & ante tempus expellit. Quapropter dili-

diligenter opera danda est prægnantibus, vt se tempestiue contra hæc muniant infortunia, ad quæ alias quoq; pronæ sunt; nec eis obuiā eant; sed omnia quibus ad ea impellantur, declinēt. Equidem peculiaris esset prę̨seruationis huiusce pertractandæ locus: sed angustia temporis alio properandū esse monet. Breuiter ergo pauca tantum huc pertinentia proferam, vbi hoc prius admonuero, longe eos à vero aberrare, qui sentiūt prægnantibus nulla omnino exhibenda esse medicamēta. De fortibus equidem & violētis recte arbitror dici: sed nulla præseruantia, quę fœtum roborent & confirment, eis exhibenda; aut si vitiosis scateant humoribus, non esse purgandas; vel denique, si sanguine abundent, non aperiendā eis venam: ea vero ex artis medicæ præceptis probari & obtineri non posse, cōtendo. Quin æque suis medicinis indigēt prægnātes, atq; aliæ. Sed qua ratione et quādo, paucis indicat Hippocr: lib. 4. aphor: 1. Vtero gerentes (inquit) sunt medicandę, si materia turget, quarto mense & vsq; ad septimū; sed hæ minus: iuniora autē & seniora vereri oportet. Vult hîc Hippocr. caute ac solicite prægnantes esse curādas; non tā vehemētibus medicinis, quàm alias fęminas: lenius et subtilius, tractandas; diligenti adhibita circumspectione: tutisimū vero tempus à quarto gestationis

menſe vſq; ad ſeptimum; citeriores autem vel vlteriores menſes tam tutos non eſſe. mox vero adnectit; in medicationibus (intellige etiã prægnantium) talia educere è corpore, qualia & ſponte prodeuntia, vtile eſt; quæ vero contrario modo prodeunt, cohibere oportet. Hic innuit etiam in primis, quando talia mulieribus accidunt, quæ eiicere fœtum poſsint, confeſtim eſſe auertenda; illasq; cum fœtu conſeruandas. Ea propter hæc tanquam regula prægnantibus ante omnia ſeruãda eſto, vt ſibi ab omnibus iis diligenter caueant, quæ abortui cauſam præbere queant. Ideoque, ſi ſuperfluis oneratæ ſint humoribus, eos intra præſcriptũ ab Hippocrate tempus leuibus catharticis, cuiuſmodi ſunt, manna, caſsia, & ſimilia, educere licet. Semper autem victus rationem ſic inſtituant, vt neque nimium, neque parum aſſumãt; ne occaſio detur abortiendi. Minime vero ceſſandum foret, vbi ſequentium aliquod eueniret; ſed ſtatim de remedio conſilium capeſſendum: Si ſecundo, aut tertio menſe ſeſe menſtrua oſtenderent: ſi præternaturali calore, ſeu febri ipſa moleſtaretur, & admodũ palleſceret: ſi fluxus irrueret hoc alieno tempore, qui vterum recluderet, & fœtus incrementum prohiberet (nã omne ſanguinis profluuium, ſiue per nares, ſiue per alia loca, malum et periculo-

culo-

culoſum;cùm infanti ſubtrahat alimentum) ſi diarrhœa corriperetur, ſi cephalalgia, ſi catarrho, præſertim ſalſo, qui in pectus, aut ventriculū recumberet: ſi palpitatio cordis affligeret, nauſea cibiq; faſtidiū ingrueret nimiū, ſi afficerentur plurimo tædio, ac infirmæ redderentur. Deniq; omnis generis morbi ſolicite præcauendi: onera nec leuanda, nec geſtanda; nec magno etiam conatu laborandū eſt prægnantibus. A viris inſuper pulſari non debent. nec ſaltare æquum eſt. licet noſtrates mulieres magna ſæpe leuitate ſaltent; perinde, ac ſi auiculæ forent; nec ſui rationem habeant. Vt interim flexus & circumactus minus pudicos & immoderatos, quibus à ducentibus ipſas ſaltatoribus trahūtur impelluntur que [**ratione ſaltandi Germanis vſitata**] taceam; qui leuibus & agilibus mulierculis nihil obſunt, ſcilicet. Debebant illæ ſaltatoribus referre gratiam colaphis; ſed nimiū placet tam artificioſum in altum vibrandarum veſtium nudandorumq; crurum (ſæpe & femorum) beneficiū. Quantum porro neceſsitas poſtulat edendū eſt prægnanti: non eſuriendum, non triſtandū: modus cibi potusq; tenendus: cauendum à terrore: non caleſcendum nimium: nō vociferandum: nec cibi, nec vini nimium ingurgitandum. Hæc enim omnia fœtū perdunt. Pericu-

losum etiam est, si flatibus distendatur, si ante tempus, vel crassa plus æquo, vel gracilis euadat; si venter et lumbi longo & assiduo vexentur dolore. Non est deniq; consultũ, vt acribus, acidis ac multũ salsis cibis, aut potibus vtatur. Potest enim vel leuissimũ victus erratum, hoc tempore fœtui nocere. Et, breuiter loquendo, Hippocrates vult summã artem, curã, operam & studium adhibendũ, si fœtum in vtero conseruare, et ad iustũ pariendi tempus prouehere velimus. Summum igitur in hac febri artificiũ esto (si tales anteambulones prægnantibus occurrant) fœtum conseruare. Hippocr: Epid: 3. multa enumerat exempla mulierũ, quæ febribus correptæ abortus fecerunt. Hæc ergo iã fœminas ad animum reuocare velim. Posthac de venę sectione dicẽdũ. Si ergo ante tempus mulier superfluo grauatur sanguine, qui feruore et acrimonia pruritũ (siue per nares, siue per locellos erupturus) excitet: nihil obstat, quò minus secta vena educere hunc sanguinẽ possint. Secent autẽ, vel medianã vulgo dictam, vel basilicam. Attamen sanguinis minus emittant, quàm si prægnantes nõ essent. Et hoc quidem secundũ Hippocratis doctrinam his periculosis temporibus (prius quam morbo corripiantur; non in ipso morbo) à quarto mense ad septimũ vsq; licet. Intelligit vtiq; de acutis morbis,

bis, ad eos præcauẽdos. Nec impediat hîc alius aphorismus, quo dicit, mulierem venæ sectione vtentem abortire. De iis enim tantum mulieribus loquitur, quæ nõ multo sanguine præditæ sunt. Nam quod sanguine abundãtes sæpe abortum faciant, experientia docet. Atqui hæ ipsæ alio tempore prægnãtes, si venã secent, legitimo tempore pariunt & robustũ edunt fœtum. In primis autem sanguinẽ eæ mittere debent, quæ magna cum difficultate parere consueuerunt. Subtracta enim sanguinis parte, fœtus non tam plene nutritur, nec in tantam accrescit molem, vt egressum prohibeat: atq; sic fit, vt leuius pariant. Hic plus valet autoritas obstetricis, quàm aphorismus Hippocratis: cùm experientia, cui tuto confidi potest, illa sit edocta. Considerandæ tamen accurate vires & necessitas in primis. Sequuntur remedia, quibus vtero gerentes ad conseruandum fœtum his periculosis temporibus vtantur. Primum vulgarem antidoton describam, quæ theriaca prægnantium dici potest. ℞ miuæ cydoniorum simplicis, citriorum conditorum minutim conscissorum, ana vnc. ij. ficuum, palmularum (itidem concisorum) ana vnc. j. zacchari ros. vnc. ij. fœniculi dr. ij. xylaloës, cinamomi, galangæ, granorum paradisi, caryophyllorum, cubebarum, spicæ nardi, ana dr. ſ.
cum

cum ſucco citriorum F. opiata. Hæc theriaca iuuat à forma ſpecifica, auget & roborat fœtũ. Sumat de ea prægnans quotidie mane nucis moſchatæ magnitudine. Bibatur iis, quæ vterum ferunt, ſæpe mulſa; quæ & fluxiones inhibet, & fœtum ńutrit. Eædem quando ventos & fluctuationes in ventre ſentiunt, illinantur oleis & vnguentis flatus diſsipantibus: vt oleis, roſaceo, nucum, cydoniorum, maſtichino, myrtino, cũ leporis, aut hœdi coagulo permixtis. Mulſam etiam, in qua ſemen fœniculi percoctum ſit, bibant. Vnguentum comitiſſæ panno illitum imponant. Coralli contuſi, coriandrum aceto maceratum, nuclei palmularum, ſi ſumantur, optime iuuant. Fœniculum item, cortices granatorum et aurantiorum, folia quercus & glandes in ſacculo cocta, & calide impoſita, multum proſunt; & ſi qua ſunt ſimilia. nec minus balnea ex decocto foliorũ quercus; & alia, quæ pro re nata poſſunt vel ex tempore præſcribi. Cum nauſea & vomitio prægnãtes multum infeſtant, lac poſſunt haurire caprinum. Iam pro pauperibus adiiciam efficax ad pręcauendum abortum remedium. ℞ phyllitidis, ſcolopendrij, hederæ terreſtris, ſeminis plantaginis minoris, ana q. placet: in vino decoque, & bibe. Deſcribendum etiam vnum & altetum pro difficulter parientibus.

℞

℞ dictamni albi, seminis nigellæ, cornu monocerotis, visci corylorum, ana scr.j. F. puluis; quem vna vice exhibe. Præseruat etiam infantes à conuulsionibus. Serpentis exuuium femori parientis alligatum, facilem præstat partũ. Cum inter pariendũ iis se partibus ad exitũ conuertit infans, quibus non debebat; foueantur exeuntes partes aqua pulegij, & retrudantur: puerperæ vero hæc ipsa aqua, insperso succini albi puluere, potanda propinetur. Prodest etiam hanc aquã linteis, aut spongia infra vmbilicum imponere ventri. Interea crura pariẽtis altius reliquo corpore emineant; vt hac ratione retrorsum infans actus, deinceps Dei auxilio commodius edatur in lucem. Puluis nuper descriptus ex dictamno, &c. mortuũ etiam expellit fœtum; si interim etiam bini sacculi arthemisia repleti, & à coctura calentes infra vmbilicum ad vteri latera applicentur. Pellit & secundinas hic ipse puluis. Idem præstant à gallinarum ventriculis derasæ cuticulæ, & borax trita, ana æqualibus partib: cum conuenienti liquore haustæ. Admonendum & hoc, in difficili partu obstetrices locos circũcirca gallinaceo adipe inungere debere. Plura requirãtur à practicis medicis.

Sequi-

CAPVT

Sequitur altera pars capitis de menstruis mulierũ fluxibus.

VT iam dictum de abortu, sic etiam de mulierum menstruis dicendum; quòd sæpe præter naturam et ante tempus ab hac febri cieantur; quę sanguinis massam ita calida, acri et epimenica qualitate inficit, vt nimium vel boni sanguinis effluat. Ita enim venulæ vteri & locellorum eroduntur ac dirũpuntur, ac si erodentia medicaméta in eũ vsum adhibita fuissent. Atq; hîc sanguineus fluxus sic interdum inualescit, vt mulieres debilitatis viribus in extremũ vitæ periculũ adducantur. Quod cum accidit, tempestiue occurrendum est; ne cum effluéte sanguine vitam effundant. Erosioni maxime lenientibus resistatur. digiti etiã ligentur; & sanguis cucurbitulis reuellatur: quæ cucurbitulæ mammis, regioni hepatis, lienis, lumborũ; inferiori denique parti ventris affigantur: oleis insuper & vnguentis refrigerantibus impetus retundatur. Et hîc vsus erit antidotorum de bolo Armena, terra Lemnia; serpentinarum omnium & vulnerariarũ herbarum, percommodus. Plura quære in capite de narium profluuio. Vtere etiam hoc puluere bezoartico: ℞ boli Armenæ vnc. ij. terræ Lemniæ vnc. ſ. glycyrrhizæ, sem: citrij, corticum eiusdem citrij,

ra-

rasuræ eboris & cornu cerui, tormentillæ, sanguinariæ, ana dr. ij. coralli rubri sem. acetosæ, coriandri præparati, ana dr. iij. F. puluis; de quo sume cum zaccharo, ouo sorbili recenti, aut aquis stillatitiis sanguinem sistentibus, vt saniculæ, fragariæ, &c. Potes etiam accipere boli Armenæ, terræ sigillatæ & rubricæ fabrilis, ana p. s. & cum albumine oui agitato subigere, & velut emplastrum regioni lumborum & ventris circa vmbilicum ad sistendum fluxũ imponere. Quin & balneorum, succorũ & oleorum, de quibus circa nariũ profluuium facta mentio, hîc vsus esse potest. Preciosum etiam est interius sumtum, quod sequitur, electuarium. ℞ conseruæ rosarum veteris dr. ij. conseruæ florum symphyti, tabularum de succino, de terra sigillata trochiscorum, ana dr. j. cum succo rosarum F. electuarium. Hîc admonendæ sunt mulieres, vt à sanguine draconis, quo frequenter alioquin vtuntur, sibi caueant. Quoniam sæpe cinnabari, arsenico & vitriolo permiscetur. Consulo igitur vt in totum ab eo abstineant. Eius vero loco sumatur sandalum rubrum (quod epimenico huic fluxi sistendo vtilius est) cum saccharo rosato, corallis rubris & margaritis in puluerem redactis. Plura hîc etiam dici possent de alio fluxu, quo subinde etiam per interualla (duorum plerunque men-

menſium) mulieres infeſtantur: vbi non ſanguis, ſed aquea profluit materia. Verum quoniam huius eadem ferme, quæ ſanguinei, cura eſt; ideo nunc finem capiti huic impono.

De variis peſtigiis, maculis & puſtulis cutis: Caput XXV.

MEDICI huius ætatis multum de præſentibus cutis defœdationibus rixantur, & alte rem ab Arabibus & Græcis repetũt; quid nempe proprie ἐκθύματα et ἐξανθήματα; quę maculę, qui tumores apud veteres fuerint. Verum nos, re ipſa ob oculos poſita, qualibuſcunq; nominibus, etiam in vulgus vſitatis, erimus contenti. Videmus in peſtilentibus hiſce contagioſiſq; febribus poſt magnum feruorẽ, ingentem capitis dolorẽ & inflammationem duo macularum erumpere ſolere genera. Prius ab interioribus partibus per ſudorẽ emergit, ſimile pulicum morſibus, pororum extremitatibus directe inſiſtẽs. Huius vero generis macularum aliæ exiguę ſunt, ceu dictum, aliæ magnitudine lentium, aliæ latiores, teruntium æquantes; aliæ denique latitudine haud minore denario. Non ſunt purulentæ; nec vrunt. Sta-

tim

tim vero atq; frigus percipiunt, euanescunt; & cutem quasi compunctam relinquunt, donec iterum calorem sentiant. Hæ ergo, vt supra dictum, sine dubio à venenato aëre proueniunt, qui ita sanguinē afficit & inflammat, vt in iis, qui hac febri laborant, nō secus atq; in iis qui venena hauserunt, variæ cutis appareant maculæ. Hæc causa fuit cur Itali has Pestigias, tanquam pestis maculas, appellarint. Tametsi vero non absimiles sint maculis puerorum, quæ et ipsæ periculosæ, addo, et contagiosæ, sunt; nisi recte tractentur et extrorsum euocentur: magna tamen inter has & illas est differentia. Vt enim puerorum illæ ex menstruoso sanguine, quem infantes in vtero attraxerunt, & postea ex vberibus cum lacte suxerunt, ortum ducūt; natura immundum illum sanguinem per ἐκθύματα excludente. Etenim quemadmodū vinum feces per feruorem & ebullitionem eiicit; sic in præsenti lue ex cœlesti à Deo mota causa menstruosus est aër, qui ex sanguine has pestigias excitat; quæ à natura per sudorem ad poros expellūtur. Siue autem sanguinem melancholicum, siue nigrum & adustum earum statuas causam; certe nō fuerit à nostra illa melancholia; sed ab extrinseco & accidentali infecto aëre, qui sanguinis nostri massam ad talem modum corrumpit. De his scribit etiam

princeps Hippocr: lib: 5. Epid: quod suo quoq; seculo in talibus febribus apparuerint, historiã pueri Euphranoris referens, cui triduo ante, quàm febricitaret, repente in cute maculæ instar morsuum pulicum obortę sint; et mox iterum euanuerint. Et lib: 6. de Simone quodam refert, quòd hyeme tales latas maculas habuerit, sine vehemēti pruritu; quæ si vel calida fomentatæ, vel igni ad motæ essent, denuo prodibant. Item in aphorismo, Pustulæ latæ (inquit) non admodum pruriunt. Ad eundē modum etiã circa nostras pestigias res habet. Sed in colore magna inest varietas. quædam rubrę sunt; eæq; optimæ: quædam prorsus nigræ aut venetæ: quædam liuidæ, corneæ, plumbeæ: quæ omnes periculosissimæ sunt; iisq; notati raro euadunt. Adeo, vt nostri vicini certo argumēto collegerint, vbi hæ apparerent (conuenienti autem nomine mortis appellabãt maculas) ibi actum esse de vita. Alterum genus exanthematũ huius febris non est siccum, vt præcedēs; sed pustulosum, sanguine & pure manãs; propemodũ papulis puerorum simile; quanq; nõ parum etiam differat. Huius vero generis aliæ paruæ sunt, aliæ maiores. Paruæ nobis vocãtur Durchschlecht / quasi dicas eruptiones; mediæ canum, maximæ autem ouium vesiculę, hoc est papulæ. Hæ omnes instar ignis vrunt, priusquã

ad

ad suppurationem perueniãt: fœde cutem deformant, stigmata, veluti puerorum papulæ, relinquunt, cutem perinde vt oleum, aut aqua feruens, adurunt. Quædã late serpunt, eæq; minus periculosæ sunt, quàm aliæ; quòd venenũ magis extrusum sit. Supra autem dixi, quemadmodum flammula & vrtica vesicas excitẽt in cute; sic etiam hanc febrem flammulę naturam referre, vt cutem eodẽ modo adurat. Adhæc, vt in amplo mundo varia proueniunt salia, quæ erodunt & vrunt; ita talia etiam in homine, volente sic Deo, suam vim exserere possunt, ac torquere illũ & erodere: vnde nimirũ omnis generis vlcera procreãtur: velut etiã copiose à rerũ naturaliũ diligentissimo indagatore Theophrasto Paracelso demõstratũ est; & negare nemo potest. De his albis vesiculis scribit etiã Hippocr: lib: 4. Epid: quòd suo quoq; tempore in pestilentibus febribus ex cute eruperint, & valde vsserint: vbi insuper addit, nõ fuisse bonas; præsertim nõ exquisite rubras aut albas; sed nigrore, aut liuore permixtas. Vtriusq; porro generis cura est, vt tum siccæ, tũ vdę per sudorẽ expellantur; nec frigore intro retrudantur. Cùm enim iterũ se abscõdunt, magnũ subest vitæ periculũ. Seruandus attamẽ hîc etiã est modus. Multi nimio calore & æstu misere torquent laborãtes; vt nõ pauci, ꝑsertim pueri,

ſuffocentur. Aduerſus vtrumq; genus cõmunicabo tibi iam iterum antidoton, ſæpiſsime nunc exploratam, & apud nobiles in magno habitam precio; quæ tamen à pharmacopœo conficienda fuerit. ℞ lapidum precioſorum præparatorum, margaritarũ, corallorum, ſpodij, raſuræ eboris, zingiberis, ligni aloës, ana dr. ſ. cornu cerui vſti dr. j. ſ. rad. dictamni, caphuræ, zedoariæ, doronici, ana dr. ij. ſandalorum omnium, ana dr. j. boli Armenæ præparatæ vnc. ſ. croci dr. j. ſ. corticum citrij vnc. ſ. ſuccini albi ſcr. ij. been vtriuſque, id eſt, antiballomenon eorũ, ana ſcr. j. F. puluis. Deinde ℞ cõſeruæ roſarũ, boraginis, bugloſsi, ana vnc. ij. theriacæ, mithridatij, ana vnc. j. foliorum auri N. vj. aceti vnc. ij. ſyrupi acetoſitatis citrij q. ſ. F. electuarium: deauretur. De hoc exhibe puero cũ aqua fumariæ dr. ij. adulto vnc. ſ. ſudent aliquantiſper, non obtecti nimium, nec vi cõpulſi: ſuo enim tempore ſudor ipſe non ceſſabit. Pauperes, quibus tantum non ſuppetit, vt hanc theriacam emant, flores calthæ coquant in vino, aut aqua, pro vt frigus calórue ſuaſerint: potenter has maculas, vt etiam carbunculos & bubones, eiiciũt; quemadmodum in libello de peſte dictum eſt. Quędam igitur cito erumpunt, vti quarto, quinto, aut ſeptimo die; quædã tarde admodum; præſertim veſicæ, quæ

poſt

post vigesimum quintũ diem emergunt; velut etiam Hippocratis seculo. Circa vero quintum & vigesimum (inquit) pustulę per corpus prurientes valde, tanquam igne perusta cute pullularunt, &c. Hoc ipsum in his & ego papulis obseruaui: madẽt multum, valde vrunt, & cuticulam circumcirca excoriant, præsertim canum & ouium dictæ. quomodo & Hippocrates de puella, quæ post Heroũ habitarit, refert, quòd consimiles ei fuerint excitatæ vesicæ. Digrediendum hîc paululum est à proposito, indicandaq́ue harum vesicularum causa, quam Hippocr: eo loci attingit. In hac igitur is est sententia, quod freqentius iis oboriantur, qui allio et cępa multum vescuntur: cùm nostro seculo allium (vt & cæpa) antidotus contra infectum aërem existimetur; ac proin vehementer ab omnibus prope commendetur & vsurpetur. Hæc ergo Hippocratis sententia probe consideretur; dispiciaturq́; consultúmne sit illis vti, nec ne. Non ego id loquor; sed princeps et euangelista medicorum. Vulgo aquæ hordei lenticulam et ficum incoquunt; eamq́; vel aceto, vel syrupo acetoso simplici, vel de acetositate citrij condiunt; quam aiunt has maculas & vesiculas extrudere. Verum cum vbique talia multa exstẽt; ego tantum topica quædam huc apponam, quæ dolorem, pruritum & vstionẽ

ſedent;cętera relinquens. Siccæ quidem maculæ ſuo tempore vltro euaneſcunt: attamen ita cutem excoriant, ac ſi ardore ſolis cõbuſta foret. Ad delenda igitur veſtigia & aſperitatem cutis quidam farina piſorum, aut fabarum, & melle ſeſe inunxerunt; aut aqua ex floribus fabarum, vel ſigillo Salomonis extracta cutem (præſertim genarum) imbuerunt. Cum vel canum & ouium veſiculæ, vel minores illæ puerorum papulæ valde vſſerũt, & iam alte emerſerunt, atq; ad ſuppurationẽ deductæ manare cœperunt; butyrum recens aquæ infuſum aliquoties aqua roſacea probe ſubegi, vt ex eo linimentum album confieret; quo veſiculas calido loco inunxi; & inſtar combuſtionis breui ſanatæ ſunt. Optime vtiq; liniméta ad ambuſta eis cõueniunt; modo calida illinantur. Puerulis, quos multum in ore, palato & naribus papulæ vexant; vbicunq; illæ ſint (ſiue in oculis, ſiue in oris capacitate, ſiue intra nares) flore lactis recenti calidoq; inungantur illæ. Aut, ℞ mellis roſacei cochleare j. aluminis zaccharini & farinæ hordeaceæ, ana dr. ſ. de quibus turundæ ex ſubtilibus pannis madeſcant, & ſic imbutę naribus indantur: leniũt & ſanant. Aut, ℞ olei roſacei, butyri recentis, ana dr. ij. liquefactis inungãtur veſiculæ. Aut, ℞ aquam roſaceã, in qua agita lithargyri & ceruſſæ modicum;

dicum; eaq́ue mixtura veſiculas illine. Huius in ore nullus eſt vſus. quin potius accipiantur extremitates frondium rubi; coquantur aqua; qua ſemen cydoniorum macera; & mucore, qui inde prouenit, os obline. Poteſt & digito linteolum circumuolui, quo illarum partium veſiculæ mundentur. Quando fauces vlcuſculis & rimis oblæduntur, quæ vehementem excitent dolorem; illinantur flore lactis, qui mitigare plurimum ſolet. Tantum de his affectibus.

De ictero: Caput XXVI.

MEDICI tum ſcholaſtici, tum practici ſic de ictero adhuc docuerunt, quòd ſymptoma ſit potius quàm morbus; nempe bilis effuſio, quæ vel repente, vel paulatim fiat, propter obſtructũ folliculi fellis meatũ. Quia fel (aiunt) habet duos meatus; alterum ſupra, ab hepate in eius folliculum; alterum infra, à folliculo in inteſtina: quodſi inferior obſtruatur, excrementa relinqui alba, vel cineritia; quia non inficiantur à felle: aut eadem etiam prorſus ſiſti. Si vero ſuperior obſtruatur: tum regurgitari fel in vẽtriculum, & in totum corpus diffundi. Tres autem icteri ſpecies poſuerunt; flauam vnam; cum flaua bilis in totum corpus diſpergitur: alteram nigram; quæ ab

atra bile fiat, lienis vitio: tertiam ex duabus illis inter se mixtis; quam & pro diuersitate mixturæ diuersis nominibus appellarunt: iam ex nigro, iam ex viridi flauescentem, &c. vbi autem hæ obstructiones fuere, ibi aiũt fere febres & alui obstructiones insecutas. Secundo etiam docuerunt, quòd icteri in morbis acutis circa diem septimum subito se ostenderint: vnde & critica signa fecerũt. Si autẽ morbis ante septimum diem acciderint, nullo dum coctionis se proferente signo: magnum semper subfuisse vitę periculũ. Tantam enim vim bilis adfuisse, vt morbus eam vincere & concoquere nequiuerit: adeo, vt pro sua malignitate sese ante tẽpus in totum corpus effuderit: non quòd natura ipsam vicisset: sed cõtra ipsa potius naturam; perinde atq; cũ lacus ruptis, aut superatis marginibus exundat. Vnde aphorismus Hippocr:4. Aphor. 62. Regius morbus in febribus quibus accidit ante diem septimum, malum. Rursus si icterus die decretorio, puta septimo nono, vndecimo, decimotertio [**fortasis decimo quarto dicere voluit autor.**] appareat, natura interim indicium coctionis præbente; bonum signum esse volunt; & fere sequi restitutionem sanitatis; modo hepar in scirrhũ nõ obduruerit. Vnde Hippocrates, Regius morbus (inquit) quibus in febribus septimo, vel nono

nono, vel vndecimo, vel quartodecimo super-
uenerit, bonum; nisi dextrum ilium obduruerit: si vero non, non bonum. lib:4. Aphor:64.
Quanta item signorum crisimorum varietas ab vtraq; bile (mortis aut vitæ) petatur, dum exeuntia, sputum & aquam per vomitũ exeuntem, sudorem, alui & vesicæ excrementa, aliaq; vndecunque prodeuntia, pingunt; vix integro libro explicari posset; præsertim, si etiam exempla vbique apud Hippocratem exstantia complecti luberet. Verum enimuero, si vere & solide de ictero loquendum sit; vix fieri potest, vt bilis siue flaua, siue nigra, tam breui & subito, tantam pariat mutationem; quandoquidẽ vtriusq; humoris minima est copia. Aliam oportet esse flauedinis, nigroris & aliorum colorum, qui in hac pestilenti febri in facie & tota corporis cute elucescunt, causam. Et, si dicere, quod res est, licet; aio à subitaneis venenis oriri, quæ à natura sua colores habeant & vim tingendi. Etenim quis nescit auripigmentum colore flauum esse ac dirum venenum? Vt igitur pictores flauedine flauo colore tingunt: sic etiam quando auripigmenti venenatus color ab aëre procreatur, & sanguinẽ inficit ac pingit; mox per sudorem totius corporis superficie erumpit. Sory, mysi, atramentum, vitriolũ praua sunt salia: quæ prout parata fuerint, ita

varios inducent colores; flauum, nigrum, fuluum, rubrum: quod etiá faciunt chrysocolla, ochra plumbana, lapis lazuli, & eius generis alia venena. Et sane obseruamus, quando cani, aut alij bestiæ venenũ est oblatum, statim ei nigrorem induci. Fossores & fusores metallarij pallida & icteritia facie præditi sunt, non vtique à felle; sed à venenato aëre, pro natura metalli, quod funditur, & venenũ spirat. Quemadmodum igitur in his bilis neq; augetur, neque minuitur; sed eadem copia manet; atque illi nihilominus alio, quàm cæteri homines, qui id genus vitæ non sequuntur, præditi sunt colore: ita certe crediderint etiam in his febribus icterum tantum à venenato minerali colore, aut sale terrestri, vnde sanguis excalescat, acrimoniam contrahere, ac non secus pingere corpus, atque pictor parietem pingit: idq; pro diuersitate & natura colorũ. Si ergo colores hĩ principio huius febris in facie & reliquo corpore appareant; præcipua curationis spes in sudore sita est; qui quidem antidotis ciendus est. ac præ aliis hîc aqua theriacalis ex vsu fuerit, quæ paulo post describetur. Sudorem insequi debet vomitus, vt color, id est, venenum eiiciatur: quod expeditissime fieri solet tribus hisce, sudore (inquam) vomitu et deiectione concurrentibus: quæ tria à specificis quibusdam

arcanis cieri cõſueuerunt, cuiuſmodi ſunt mercurius, antimonium, vitriolum, &c. quæ hos colores (vt alibi dicetur) fortiter adoriuntur: quemadmodum, qui periculum fecerit, nouerit quænam viridia, veneta, flaua excludere illa ſoleant. Cum vero hæc in pharmacopoliis non exſtent, nec vulgus aliunde habere poſsit, ſequẽti potu ſudorifero in eorum penuria venenum propellendum cenſeo. Nec eſt quod de colore quiſquã multum ſit ſolicitus: id modo ſtudeatur, vt morbus ipſe profligetur ablatione cauſę; qua ſublata, vel vltro color euaneſcet. ℞ radicum bugloſsi, angelicæ, ana dr. j. theriacæ dr. ij. aquarum fumariæ, veronicæ, ſcabioſæ, cardui benedicti, ana vnc. iij. miſce & repone loco calido, ad horas 24. dein extrahe aquam; de qua ſumatur bonus hauſtus, & ſudetur. Aqua theriacalis hæc eſt: ℞ ſpiritus vini lib: iiij. theriacæ dr. xviij. myrrhæ rubræ dr. x. croci Viennenſis dr. ij. deſtillentur. aquę extractæ exhibe vnc. ſ. cum aqua ſtillatitia rutæ, aut fumariæ. Poteſt iterari ſudor, ſi calor & vires permittant. Ablata cauſa, ſi color remaneat; adhibere licet balnea & fomenta, quæ illum auferant. Omnis etiam generis epithemata hepatis & cordis imponi queunt, & quicquid calorem moderatur.

CAPVT

De hydrope & corporis inflatione: Caput XXVII.

DVO grauium tumorum genera huic febri accidere solent: alterum primo statim, secundo, vel tertio die: quo totum ægri corpus, perinde vt vaccæ, dum bupreſtin deuorauit, intumeſcit. atq; hîc tumor perquam ſimilis eſt leucophlegmatiæ. brachia, manus, crura, pedes, venter & omnia ſupra modũ inflantur. Nec illa ex tribus hydropis cauſis huc, mea ſentẽtia, quadrat: niſi quod etiam ventoſa intemperies hîc ſit, quę à venenato aëre profecta, ſpiritus vitæ bupreſticis & auſtralibus flatibus corrumpit; qui omnes meatus inflant & inſtar tympani diſtendunt: quemadmodũ etiam in frigida, humida & ventoſa tempeſtate interdum fieri videmus, vt aliquis facie intumeſcat; nec minus cum aliquando noctu inſalubri quis afflatur aura. Terribile eſt hoc accidens in primis. Nam vt alioquin in tympanite, ſic etiam hîc venter circa vmbilicum & inferius, omniaq; membra ſic inflantur, vt columbam (vel potius veſicã) quam calamo inflauimus, referant. In grandem follem omnia extenſa ſunt, etiam ſecretiora, vt vel ruptura iamiam eſſe videantur. De multorum igitur hoc modo laborantium ſalute deſperaui. Sed cum

tum eos postea meliuscule habere animaduerti, curationẽ hac aggressus sum methodo. Primum cãdela illa bezoartica fumigaui eos, quò spiritus vitales (ceu supra monui) corrigerentur. deinde vomitum prouocaui: postea sudorem; quem aliquoties repeti iussi. Tales nempe de calore non admodum cõqueruntur; sed grauedine capitis & lassitudine membrorum molestantur, & ita suffertí sunt, vt in singula momenta suffocatum iri videantur. Clementer etiam aluum ducentia exhibui: velut trypheram Persicam, cũ oleo anisi & careos. Post sudorem tumor sensim decrescere, & ad iustã magnitudinem singula redire solent. In potu anisum, fœniculum & cuminũ decoquere iussi: ac sic demum bibere. Quibusdam papulæ, quales ouiũ vocari diximus, obortæ sunt, quæ humore primum manarunt, postea vero arefactæ sunt. Ruptura autem cutis nulla vsquam in his ægris mihi occurrit. audiui tamen ex aliis in cruribus quibusdam erosam cutem, & multum effluxisse aquæ. Potest fieri, vt leucophlegmatia (de qua postea) ex seroso humore orta, fuerit ille affectus, & vere venenata resolutio humoris salsi, &c. Mox etiã ingens lumbricorũ copia et mira putredo cineritia saponis feruentem referens mixturum, à tumidis istis prodiit. Vnde coniecturam de causa feci,

quod

quod ex auſtralibus ventis & aëre venenato malum exſtiterit. Illeui etiam ægros oleo iuniperorum, baccarum lauri, aniſi & careos, propter flatus. Alterum tumoris genus, hydrops, inſecutum eſt poſtmodũ, vbi iam aliquot diebus ægri decubuerunt, ac nimium bibêre, aut obſtructiones (hepatis, aut lienis) cõtraxerunt: quemadmodum in febribus chronicis fere fit, vt cachexia corporis, aut intemperies ſaltem frigida, vel calida, cum febricitantes nil cõcoquere poſſunt, ſequatur. Eſt autẽ hydropis in hoc morbo eadẽ cura, quæ alibi eſſe ſolet. Pauperibus hoc decoctum exhibui: ℞ radicũ helenij, iridis, liguſtici in aëre nonnihil ſiccatarũ q. ſ. coquantur in aquæ & vini æqualibus partibus, adiecto etiam aniſo. Decoctum bibatur. Pueris tumeſcunt pedes; pro quibus ℞ roſarũ rubrarum, verbaſci, origani, chamæactes, ana q. ſ. coque in aceto: fumo calentis decocti pedes foueantur: ac vbi probe incaluerint hanc aquam pannis imbibitam circunda: ℞ aluminis vnc. iij. myrrhæ, aloës, roſarum rubrarum, ana vnc. j. bulliant in vino; quo irrigatos pannos ſubinde pedibus calide circumponas. Pauperibus autor fui, vt ſtercus columbinum, anſerinum, gallinaceum & lutum fornacum in aqua, aut aceto calide imponerẽt; quibus breui hoc remedio tumor ſubſedit. Quod nõ omnia

hîc

hîc requiſita in medium adfero, nemo ferat ægre; cum ad alium locum (de hydrope) pertineāt. Adhuc enumerata ſymptomata, ego hiſce proximis annis obſeruaui & expertus ſum; oculis vidi, & manibus palpaui. Quæ tametſi in alis etiam febribus obſeruētur, & ſigna criſima vocari conſueuerint: tamen, vt antea monui, in his popularibus febribus longe aliam, habent rationem; propter venenum contagioſum & infectum aërem: tum quia diuinā cauſam important, & præter naturam à Deo pœnæ loco et afflictionis ſingularis immittuntur: ſuntq; adeo morbi magis, quàm ſymptomata. Poteram autē hæc mihi oblata viuis teſtimoniis & exemplis comprobare; niſi iis qui illis conflictati ſunt, & adhuc viuunt; odioſa futura eſſent. Poteram etiam exempla, quæ ſuo tempore crebro citauit Hippocr: intermiſcere; ni breuitati ſtudendum foret, et hęc ſatis nota per ſe eſſent. Attamen facere nō poſſum, quin tres miros caſus et inauditos affectus referam, quos iſthæc lues ſecum attulit. Primus accidit honeſto cuidam viro iudicij aſſeſſori: cui poſtquam hebdomada vnam, aut alteram grauiter hac febri laboraſſet, ac iam conualeſcere ſibi videretur (ratione enim iterum conſtabat, cibumq́ue ac potum appetebat) repente inter loquendum fluxus ex capite per ſiniſtrum

latus

latus vſq; in pedis decidit pollicem, qui ſtatim nigreſcere & ſideratione ita cœpit affici, vt nihil amplius ſentiret: atq; ita gangræna (Sancti Quirini plagam appellant) totum occupauit: quæ progreſſa pedem etiam vſq; ad talum inuaſit. Accerſiuit ergo miſer balneatores & tõſores: qui læſo puncturis pede nullum nec ſanguinem profluentem, nec ſenſum deprehenderunt: ac de abſcindendo illo conſilium cæperũt. quia (dicebant) frigida eſt aduſtio, qua exſtinguetur ille, ſi ad cor prorepſerit. Res ad magiſtratum relata eſt; ad quem & ego vocatus, de abſcindendo pede meam ſententiã exponere iuſſus ſum. Ego vero in periculo vitam ægri cõſtitutam videns, cum etiã aphoriſmus Hippocr: incideret, Frigus extremarum partiũ in morbis acutis malũ; dixi me vereri ne à diuturno calore & morbo cor, ventriculus & alia viſcera ſanguinem omnem attraxerint; adeo, vt ſideratio hæc ex defectu tantum ſanguinis exſtiterit. Proponebã exemplum pauperculæ puellæ, cuius nuper vtrumque crus gelu peruſtum et ſphacelo denigratum, fuerat reſectum. animaduertiſtis, inquam, quomodo illi frigus externum pedes aduſſerit, denigrarit & mortificarit: conſimili modo frigus internum & latẽs bono huic viro ſuum peruſsit ac refrigerauit ſanguinẽ: vnde iam ſideratus et mortuus

eſt

rauit ſanguinem: vnde iam ſideratus & mortuus eſt pes. Si pedē amputabitis, ſanguis à corde retrahetur; & ſic ei moriendū erit: ſin illum relinquetis; itidē erit moriendum: quia ſphacelus progredietur. Nolui igitur in amputationem conſentire: perpenſo nempe omniū ſphacelorum (vbicunq; locorū ſint) periculo; quod raro curari poſsint. Cōſtat, quàm periculoſum ſit, ſi vlcus in gangrænam, ſiue ſancti Quirini plagum, degeneret. Quemadmodū porro prædixi; ſic etiam euenit: bonus vir ſtatim ab amputatione exhalauit animam. Ne igitur magiſtratus facile & vbiq; in balneatorum abſcindendi membra procliuitatem cōſentiant. non luditur de illorum corio: nec ipſi ea adhibent, quæ requiruntur: cum interim prudētes & periti chirurgi, ſic neceſsitate poſtulante, magna circumſpectione rem aggrediātur. Alter caſus accidit virgini: cui (mortuis iam parentibus) poſt diuturniorē decubitum, reuerſo iam rationis vſu, ſubito in tibia herpes exſtitit: qui mox ad vicina ſerpendo progreſſus eſt; nec exſtingui & mortificari potuit: adeo, vt cutis, oſſa, venę & alia deciderint. Ibi in mentem mihi venit exemplum Hippocr: lib: 3. Epid: vbi de malignis puſtulis, quæ nō modo pilos, cutem, carnem, neruos & ſimilia adederint; quemadmodum noſtro ſeculo gallicanæ ſolent; ſed

etiã maiora inuexerint mala, loquitur. Diserte enim scribit in hęc verba: Multis cubitus et totum brachium defluebat: quibusdã vero hæc anteriora, vel posteriora laterum lædebant: quibusdã autem tota coxa, vel quæ circa tibiam sunt, vel pes totus denudabatur, &c. Hîc miræ profecto narrãtur gangręnæ et nomę. Hæ subito irruerunt; non sensim vt gallicanæ nostrates: alioquin haud multum dissimiles. Tertius affectus militi cuidã strenuo (nunc militum duci) accidit. huic post ingentem capitis dolorem, iam domum deportato in pudendis ardentissima pustula subito excitata est: vnde tota oschei cutis defluxit, ac miserabile malũ obortũ est: ita vt omnes iudicarint ἀδύνατον esse, vt restitueretur: quin futurum prorsus, vt omnia deciderẽt. Verum cum honesto chirurgo res cordi esset; et meum sępe expeteretur cõsilium; refrigerantibus ad ambusta comparatis vnguentis pulchre sanatus est: ac tum ipse, tũ chirurgus nunc militares gerunt magistratus. De talibus idem Hippocr: eodem loco meminit, et suo etiam seculo accidisse testatur, vbi Difficilima vero omniũ, inquit, erant, cum circa pubem et pudenda hęc fierent. Exempla ista hæc non in id recito, vt me venditem: sed vt ex iis appareat, hos affectus nõ esse nouos; quemadmodum sæpe excusandæ suæ inscitiæ causa

me-

medici nugantur. Vetus ille Deus (vt supra dictum) ante aliquot annorum milia, nobis has pœnas minatus est; hæc, inquã, tubercula, bubones, & alia vitia. Deinde veteres etiã medici hæc ipsa obseruarunt, & literis diligenter cõsignarant. Modo diligẽter inquiratur, absq; dubio sana cõsilia & medicamenta inuenientur. Hoc etiã cõsilium in his recẽsendis erat, vt medicos admonerẽ, ne popularibus hisce morbis ingruentibus primi dent fugã: aut si maneant, eminus obturatis naribus hęc adspiciãt: sed vt ꝓpius accedentes ad motis manibus omnia ac singula diligenter explorent, et cũ Hippocrate scriptis mandent ac memoriæ prodãt; vt etiam alij hinc erudiantur: nec deniq; dicant, nouos esse morbos; nihil de iis scriptum exstare. Verũ enimuero qua ratione medici excipiũtur, qua sunt dignitate, eadem etiam sese exhibẽt. Mos fere nunc inoleuit vbiq;, vt contemtui potius habeãtur medici, quã vt in aliqua eruditionis & sapientiæ sint existimatione: eodemq; loco ac valore medici sunt & stulti. Quando igitur in his periculosissimis morbis nihil haberi ab illis potest cõsilij: in causa certe sunt magistratus: qui si bene de eis, & (vt merentur) honeste sentirẽt; Deus etiam suo fauore medicationem prosequeretur. Quia vero sanitatem quasi vi ab eis extorquere nituntur; nec in mentem

cis venit morbos esse Dei flagella: Deus irritos etiam facit eorum conatus; nõ secus atq; agricolis dũ grandine frumenta in agro perdit; aut in horreis exurit fulmine. Quãdo illud fit, mox omnis in miserum medicum cõiicitur culpa. Atq; ij fere, qui omnium fidelissimi sunt, gratiam ineunt omnium pessimam. [**Hîc omissa est autoris querela aduersus calumniatores, nihil ad rem institutam conferens.**] Quæ posthac ad morbum hunc attinentia vsu medico experiar, alij, volente Deo, mandabuntur libro: hîc præcipua tantum in medium allata volui. Et quia de victus ratione hinc inde mẽtionem feci; adeoq; in libro de peste copiose de ea locutus sum; quin etiam de aliis rebus non naturalibus disserui: Lectorem ad illa loca remittens, præsenti tractationi nunc impono finem. Fideles autem patres & matres familias in hac afflictione domestica simplex hoc consilium nostrum æqui boniq; faciant. Spero doctis à me datam occasionem, breui accuratiora edendi in lucem. Ad quam rem DEVS opt: max: suam in CHRISTO IESV gratiam largiatur (vna cum spiritu sancto in æternum laudandus) ac benigne suam à nobis auertat iram. AMEN.

FINIS.

IN

INTERPRES CANdido lectori S.

NOLIM, candide lector, te prætereat, tametsi CONRADINVS (vt & Iordanus) nouum hunc ſtatuat morbum; tamen longe ante aſsignatam ab ipſis originem in Vngaria iiſdẽ fere ſymptomatibus graſſatũ, cum alios multos teſtari, tũ in Epiſtolis Ioan: Langium (cuius ego exſequiis biennio ante expeditionẽ Vngaricam, qua ortam hanc luem Conradinus putat, interfui) & Baſilium Hippium à Remmingshaim, Horbæ præfectum, &c. qui ambo antidoti contra hunc antiquitus à globulis equini ſtercoris petitę mentionẽ fecerũt. Et hic quidem à nobili Bohemo iam ſene, aliquot ante expeditionem illam annis, ad hunc modum deſcriptam ſe dixit accepiſſe: ℞ foliorũ ſaluiæ M. j. globulos equini ſtercoris num. iij. aquæ & aceti roſaceorum, ana q. ſ. decoque dũ tertia liquoris pars deperdatur, & bonus hauſtus poſt colationem videatur remanſurus: quo principio morbi ebibito, indulgeat æger ſudori. Hanc deſcriptionem, quòd alibi non exſtet, ſilentio præterire nolui. Cõſilium quod ſequitur, ob eius breuitatẽ, ad illuſtrandum præſens argumentum adiici curauimus.

VALE.



Consilium
IOAN: CRATONIS
de febribus malignis.

COnſiderantiæ prudentis mihi videtur, in popularibus morbis præcautionem, cum exigua etiam ſunt indicia, adhibere, nec, dum res in diſcrimen ſummũ deducatur, exſpectare. In iſtis autem vulgaribus febribus nihil ad præſeruationem conuenientius, quàm vt & victus ratione, & iis quæ ventrem leniũt, opera detur, quò corpus excrementis vacet, & perſpirabile ſit. Longe autem alia eſt curatio febris illius, quam morbum Vngaricum vocant, & peſtilẽtis, quæ petechiis & maculis inſignita eſt. Nam morbus Vngaricus, quẽ ego ſynochum putridã eſſe iudico, peculiarẽ quendam putredinis gradum & cerebri affectionẽ ſecum trahit, ad quem in curatione reſpiciendum eſt, & capiti in primis ſecundum febrem, quæ cor affligit, cuius fomes in tota maſſa ſanguinis eſt, conſulendum. Sanguis autem in ſynocho iſta putrida omnino vel ante tertium diem, ſicut etiã in febri peſtilenti petechiis inſignita, mitti debet, vel prorſus omitti illius emiſsio. Vacuatio vero in ſynocho per agarici infuſum recte fit: in petechiis manna, ſyrupus roſatus ſolutiuus cum infuſo rhabarbari, addita caphura in potione dentur. Proceſſu vero

vero temporis à vacuationibus abſtinendum: & in ſynocho putrida cum putredine ſola pugnandum; ita tamẽ, vt ſymptomatum, & maxime affectionum capitis, quę diuerſę ſunt, habeatur ratio; nec dẽtur caphurata, quę in dolore capitis minime cõueniunt. Recte autem capiti applicatur raphanus comminutus, itẽ ſoleis pedum, prius aceto atq; ſale mundatis: intra corpus ſuccus raphani datur, et ſingulis diebus matutine decoctum ſcordij, hoc modo: ℞ Aq. ſcordij vnc. iij. ſucci raphani vnc.ſ. ſyr. è ſucco ſcordij vnc.j. Miſce. Detur aliquot diebus. nã in eiuſmodi febrib. non ſemel, ſed quotidie cum putredine pugnandum; neque poſt antidoton ſemel exhibitam quieſcendum. In petechiis autem opera dãda, vt materia, quam natura ad cutem tranſmittit, expellatur. Itaq; in loco calido, & ab omni intẽperie aëris munito æger cubare debet, ac ſumere initio ante diem quintum hanc emulſionem quotidie: ℞ aq. cardui vnc. iiij. ſem. napi, citri, a. dr.j. F. ſeminum emulſio, & addatur vel ſyrupi de cordicib. citrij, vel è ſucco ſcordij vnc.ſ. Interdum admiſceo ſpecies liberantis, vel puluerem cornu cerui. Pro roboratione virium bibat emulſionem margaritarum. In curatione magnus vſus eſt huius electuarij: ℞ ſucci ſcabioſæ, ſcordij, veronicæ, cardui, a. dr. ij. mithridat. vel theracæ electiſſ. dr. iij. ſeminis citri excortic. na-

 pi,

pi, a. dr. j. ſ. ſyr. de corticibus citrij q. ſ. ad lentum ignem f. electuarium. Datur ad dr. j. in aqua cardui, & vt æger ſudet præcipitur. Nec dubito, quin mithridatiũ ipſaq; etiam theriaca in multis corporibus rectiſsime adhibeatur.

Epigramma CLARIS: VIRI IOAN: HARTVNGI IN IACOBVM SVTER ſcriptum, cum is iuſſu præceptorum ad faciendam medicinam ſe conferret, Anno 1576. Menſe Iunio.

QVOD gerit illa vetus tua gens cognomen ab Auſtro,
Id vos irradians tutor Apollo dedit;
Qui modo literula mutata flectit ad artem,
Qua valet ipſe ſimul teq; valere facit:
Arte Iacobus, ait, de noſtra nomen habebit
(Pro Suter) Soter, quo prior ipſe vocor.
Quare age Soter, opẽ nũc incipe ferre medẽdo:
Muneribus Phœbi ſic tibi creſcet honos.

ALIVD IOAN: Fontani, in eundem.

Quis neget hũc merito Soteris nomen adeptũ,
Vnde ſalutiferam percipit æger opem?

Carmen

Carmen Gratulatorium

IN

IACOBVM SVTERVM,

CVM SVPREMAM ARTIS MEDICÆ lauream FRIBVRGI Brisgoæ consequeretur,

A CL. V.

IOANNE HELCHERO TETNANGANO Philosopho & Medico quondam scriptum & editum: castigatius nunc excusum.

IAMBICI TRIMETRI ACATALECTICI.

QVI se canendo speret insignes tuas
Æquare laudes posse partas literis
Colens IACOBE Doctor artem Pæonis,
Is tentet omnes verberantes litora
Fluctus, arenas & Maris comprendere;
Æstatis omnes ille flores colligat,
Omnes aristas, poma, fruges, vineas
Enarret antè, quàm tuum verum decus,
Nomen perenne gloriamq; lucidam.
Suxisti opinor seminis clari puer,
Cum lacte matris indolem, quæ traxerit
Ad innocens & candidum vitæ genus;
In quo dein firmatus à libidinum
Infamia seruare tete quiueris,

Virtutis atq; laude tanta degere,
Quanta locorum nunc vbiq; prædicant.
Tacebo patrem ex gente præſtantiſsima
Satum virum integerrimum & fortiſsimum.
Tum nomẽ ac famam inclytam nõ proferam,
Quæ poſteris conſtantiæ reliquerit:
Quæ, quando te lanugo prima veſtiit
Genas, ſtatim fuere ceu calcaria,
Virtutis vt metam citus contingeres.
Hoc dico verè doctor expertiſsime,
Licet tuorum eſſes parentum nomine
(Quorum fides virtusq; latè ſpargitur)
Domi forisq; clarus: hoc tamen parum
Orto putabas è bonis parentibus,
Si non labore pertinace tutemet
Ad Palladis Phœbiq; culmen artium
Scandendo laudem gloriamq; quæreres,
Gemina coruſcantemq; laurea comam
Conſtringeres tuamq; ſtirpem, quàm Pater,
Magis celebrem redderes per omnia.
Ætate quare florida te literis
Totum ſacrabas, artiumq; ſedulo
Iaciens in vrbe patria fundamina
Alibi magiſtris vſus excultiſsimis,
Superſtruebas vtiles mortalibus
Linguas & eruditionem ſplendidam.
Hauſiſſe namque te vel eloquentiæ
Fluenta, fontes vel ſacros vatum negem?

Ternásue comparasse post Germanicam
Linguas? vel auctum disciplinis optimis?
Scelus sit hoc graui luendum verbere:
Ex hisce fructus quando tantum ad te redit,
Quantum ex suo labore quisquam percipit.
Latium peragrans impigre ter maximum
De gente Tullia virum sectatus es;
Præfulgidum, inquam, lumen eloquentiæ.
Perfusus hoc, deinde adhæres Cæsari,
Terentióque, Liuio, Sallustio,
Andino, Horatio, Nasoni, Persio,
Nec non Latinos inter omnes optimis;
De nocte quos ac de die ceu deuorans
Iñ succum & in tuum coquebas sanguinem.
Emensus es totam deinde Græciam
Comites adeptus & duces Isocratem,
Musam Atticam, Demosthenē, Thucydidem,
Herodoton atq; Euripidē, Ascræū, Æschylum,
Sophoclem, Homerū, Lyndiumq;, Pindarum,
Theocritum Nonnumque; tū Theognidem,
Eiusq; sortis hinc & inde plurimos;
Qui te sua oblectando consuetudine
Fecêre Graiæ linguæ abunde conscium:
Qua cuncta te videmus apte proloqui;
Et rebus instruxêre grandi copia.
Hac in peregrinatione dum simul
Colis Platona cum Stagirita, omnium,
Quos nouimus, Sophorum acuto maxime;
Quid

Quid ſentiant vtriq; te non præterit:
Verum Stagiritæ approbas plus dogmata,
Quæ nunc docēdo, quod vocamus Organon,
Exponis ac defendis ampla gratia.
Sed Pœciles nugas inanes negligis;
Quæ cæteróqui non Polygnoti manu,
Tam clara, quàm Zenonis eſt ſcientia.
Vt de caninis haud loquar latratibus,
Voluptuariæúe grunitu ſuis.
Mathematum ſcientia (quis hoc neget?)
Sermonis eius inſuper peritia,
In orbe quem fuiſſe primum traditur,
Quintumq́; quem doces ad annum publice,
Tibi perennem concitaſti gloriam.
Verum quid eſt cur tempus hiſce cōteram,
Quæ neutiquam pro dignitate dixero?
Si nempe tot natura mî loquacia
Dediſſet ora, quot nitentes æthere
Stellæ ſolent micare; non tamen tua
Trophæa tanta nunc valerem proſequi:
Quo plura cantarentur, hoc forent mihi
Canenda plura. Hebræus, Atticus tibi
Iam quisq; cedit, & Latinus optimus,
Sophisq́; palmam præripis clariſsmis.
Sed num bonis onuſtus his inſignibus
Pedem triumphans figis hoc in litore?
Te dans quieti complicatis carbaſis?
An hiſce ſertis floridum ſatis putas

Tuum caput? maiora tanquam ſpreueris?
Imò altius naui reducta cogitas
Aſſueta demum vela plenè pandere.
Incumbis arti mox amatæ Pæonis,
Sic illi adhærens vſq; pertinaciter,
Nullis vt inde te quis abſtrahat modis.
In qua (peregrinatus ante montibus
Ac vallibus, ſyluisque, multisq; oppidis,
Scientia te ſtirpium & rerum ſimul,
Quas vſus poſcit atq; vita, plurium
Ditans) Galenum, Hippocratemq; principem,
Paulum atq; Celſum, antiſtitesq; cæteros,
Quos ars vbiq; euexit olim plurimum,
Terendo ſemper aſſecutus es breui;
Vt quicquid edidere non ſcias modo,
Sed & docere laude maxima queas.
Non conor artis imperitus eloqui
Quam febribus, quàm cæteris affectibus
Selecta miſceas medendo pharmaca:
Vetuſtiorum dum legis medentium,
Recentiorum nec minus veſtigia;
Quos aſſecutum iam vel inde cernimus,
Quòd te medente conualeſcunt plurimi.
Nil reſtat amplius, niſi vt nunc gratuler
Multum tibi, & mî gaudeam vir optime,
Tuæ quòd artis omnium digniſsimæ,
Duris peractis proſpere laboribus,
Summam reportes lauream cum gloria
Peren-

Perenniore ac finienda termino.
Feliciter modo hiſce donis vtere;
Opem fer ægris, atque febres feruidas
Aliosq́ue, qui mortalibus ſunt noxij,
Morbos medelis efficacibus fuga.
Auita vox SOTERIS iſthuc incitet,
Quæ commonet ſeruare quosq́; languidos,
Qui, rebus haud in vniuerſum perditis,
Abs te ſalubrem flagitauerint opem.
Sic demerentē morbidos quam plurimos
Mors occupet demum ſenecta Neſtoris:
A qua Creator ætheris te transferat
Æternitatis ad beatitudinem.

IACOBI SVTERI AD IOAN: HELCHERVM

ἀπόκρισις.

QVAS ô philiater omnium chariſsime,
In me tuo fers laude dotes carmine,
Nil exteras moror, neq; proprias mihi
Agnoſco multas: attamen quando ardua
In re vel ipſum velle ſufficit; iuuat
In poſterum præſtare tantam induſtriam
(Diis fauore cœpta proſequentibus)
Quanta eſt mihi tributa verſibus tuis:
Virtutis vt (cuius mihi ſum conſcius

Vix inchoatæ) forte laudem comparem.
Quò fiat, vt vel optimis adiungere
Quem niteris, saltem relinquas in bonis:
Quos inter haud inuitus ille manserit,
Ad optimos qui non potest pertingere.
Mihi mens tui videtur esse carminis,
Nimia ciere laude me; ne torpeam.
Quin prædicationis istud vnicum
Tam grandis ac donandæ amori, cõmodum.
Qua cæterum supersedere quiueras,
Ceu veritatis obtinente perparum.
Liberius hoc licere per te dicere,
Amicus alter ipse cùm sit, arbitror.

Τέλος.



Errata sic emendentur.

Pag. 17. b. v. 9. et 10. le. scor p scro. pa. 18. b. v. 6. l. napel p nappel. p. 24. b. v. 23. l. sus p sas. pag. 27. vers. 12. post interiora dele virgulam. pag. 30. ver. 13. le. losi p losi. pa. 37. ve. 13. l. telli p teli. et v. 18. ti p di. pa. 43. v. 14. l. hæc. pa. 48. post tibus adde) et v. 17. post sequentibus dele , pag. 77. b. v. 14. le. rim p rint.

Alia, si qua occurrent, beneuolus Lector facile, cùm possit, emendabit.

[illegible] libri huius [illegible]
mentio

De Peste · pag · 10.b 11.24 ·

De Antimonio p · 17 ·